

INES THEOL.  
MUSEI

18



Dieses Buch ist

26.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

BAPTISMO

Q V A M

D. O. M. A.

SUB PRAESIDIO

PETRI MVSÆI

S. THEOL. D. ET PROF. PUBL.

ORDINAR.

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA


In Acroaterio Majori

*Publico examini subjiciet*

JOHANN-BENEDICTUS STARCKIUS

ASCANIUS - SAXO.

Add. Sept.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMULLERI

Anno cl3 l3 c LXIV.



DISSERTATIO THEOLOGICA

BAPTISMO

ET DE

PETRI MVS EI

IOHANNI BENEDICTO STARCKIUS

ASSAIIUS SAXO

1725

LEIPZIG





CUM DEO.

THESIS I.

R Eparator salutis nostræ Jesus Christus in coelos adscensus, Apostolos non modò ad prædicandum evangelium, sed etiam ad baptizandum, in universum terrarum orbem emisit, his verbis: πορεύθητε ἐν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου. Duo itaque ante discessum præcipua salutis nostræ momenta dispensavit, quibus, qui in peccatis concepti ac quasi mortui sunt, regenerantur ad vitam spiritualem, & in Christum ac familiam ejus inferuntur, *verbum* scilicet sive *evangelium*, & *baptisma*.

Matth. x x i x, 19.

De hoc pronunciat ipse Servator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum caelorum.* Unde de S. Paulus *lavacrum regenerationis* appellat. De illo idem Apostolus ait: *Ego vos regenui per evangelium.* Et S. Petrus: *Renati non ex semine mortali, sed immortalis, per sermonem Dei vivi, & manentis in aeternum.*

Joh. III, 3  
Tit. III, 5  
1. Cor. 14, 15.  
1. Pet. 1, 23.

II. Nobis hîc non de regeneratione per verbum, quæ aliàs conversio, & si intransitivè hæc vox capiatur, etiam pœnitentia dicitur, sed de altero regenerationis medio, baptismo scilicet, nonnulla traditur primùm & ante omnia dicendum est; quidnam sit illud, de quo futura est disputatio? Quod quidem non aliunde, quàm ex verbis institutionis, quæ propterea in ipso limine præmisimus, expediri potest. Commendari per illa Apostolis baptismum aliquem, nullum est dubium. Participio enim βαπτίζοντες



Servator utitur, à verbo βαπτίζω, unde nomen βαπτισμὸς deductum est. Verùm qua significatione verbum illud βαπτίζω hic capiatur, ambigi potest. Licet enim apud Græcos mergendi vel immergendi, itemque abluendi vel lavandi actum eo denotari certum sit, neminem tamen sacras literas evolventem latere potest, inibi verba βαπτίζω & βαπτισμὸς à propriâ significatione ad alienam aliquando, nec uno modo inflecti. Unde ambiguitas aliqua oritur, quam & illa facilè exspirat, expresso vel subintellecto principio QVO, i. e. quo fit Baptismus. Inde enim cum primis petendum discrimen est.

III. Distinguit Johannes Baptista inter suum & Christi baptismum, cùm ait: *Ego quidem vos baptizo aquâ ad resipiscentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* Nempe Christi Baptismum à suo unâ diversitate principii QVO separat, sibi baptismum aquâ constantem, & Christo Spiritu & igni peragendum vindicans. Illum antiqui fluminis, hunc flaminis appellârunt. Eodem modo utrumque distinguit Servator, ubi proximè ante suum discessum discipulos suos iussit Hierosolymis expectare promissionem Patris, quam ex se audissent. Et mox qualem intelligat promissionem, explicans subjicit: *Nam Iohannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, istis non multis post diebus.* Respondebat promissis eventus, Nam paucis post diebus: *repleti sunt omnes Spiritu Sancto, visaque sunt eis lingue dispartitæ instar ignis.* Patet itaque, Baptizari Spiritu S. Johanni Baptistæ pariter ac Christo nihil aliud fuisse, quàm Spiritu Sancto afflari. Coniungendoque hæc duo, Spiritu S. & Igne, quid aliud Baptista prædixit, nisi Spiritum Sanctum in modum flaminis ignei super Apostolos effusum iri?

IV. Alius baptismi mentionem facit Servator, cum duobus filiis Zebedæi primatum in regno suo ambientibus responderet: *Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum, & baptisate, quo ego baptizor, baptizari? Non hic expressum est principium QVO.* Attamen liquet, κατὰ τὰ ἑσθητῶς Servatorem effusionem sanguinis sui vocare ποτήριον, quo etiam nomine vocabat morti jam vicinus, cum ita ad Patrem oraret: *Pater mi, si possibile est, abeat à me poculum istud, verum non ut ego volo, sed ut tu.* Id quod argumento est, mox novâ baptismi metaphorâ eandem Christi passionem sive effusionem sanguinis denotari. Confirmat hanc expositionem locus parallelus, qui non nisi de passione Christi intelligi potest. *Sed baptismo, inquit Servator, oportet me baptizari: & quomodo constringor, quomodo perficiatur?* Hoc antiqui Βάπτισμα μαρτυρίας καὶ αἵματος, martyrii & sanguinis dixerunt. Quippe Basiliius M. de quodam martyre scribit: Ἐβαπτίσθη εἰς αὐτὸν, ἕως ἰσθμοῦ ἁλλήλων, ἕως τῆς οὐσίας πίστεως, ἕως ἐν ὕδατι, ἀλλ' ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι. *Baptizatus est in illum (sc. Christum) non ab alio, sed à propria fide; non in aquâ, sed in proprio sanguine.*

V. Atque adeo in Scripturâ N. T. tres præcipuè baptismi celebrantur, quibus à diversitate principii QVO nomina sunt imposita, ut qui aquâ peragitur, *fluminis*; qui effuso Spiritu Sancto, *flaminis*; qui denique proprio fuso sanguine, *sanguinis* & martyrii dicatur. De uno illo, cuius principium QVO est aqua, verba βαπτίσθη & τὸ ἑσθητῶς propriè; de reliquis metaphoricè & impropriè usurpantur. Interim inter S. baptismum aquæ & martyrium egregiam esse analogiam, docet auctor libri de dogmatibus Ecclesiasticis, qui falso creditus est esse Augustinus. *Baptizandus, inquit, confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet: hoc est martyr coram persecutore facit, qui*

Matth.

xx, 28.

Marc. 8.

38.

Matth.

xxvi, 29.

Luc. xii,

50.

Hom. xx.

in qua-

drag.

mari.

c. lxxviii

tom. III.

op. Aug.

qui p. 388.

qui & confitetur fidem suam & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aquâ vel intingitur : Et hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne.

V I. Sunt, qui etiam baptismum in Scriptura aliquando pro doctrina capi putent, ut ita hoc sit quantum baptismi genus. Sed loca, quæ ab illis producuntur, rem vix evincunt. Scriptum est in Actis : *Apollos tantum sciebat baptismi Iohannis.* Et mox ibi Ephesini quidam, quum dicerent nunquam se audivisse de Spiritu Sancto, interrogati à Paulo, *in quid ergo baptizati essent*, respondebant, *in Iohannis baptismi.* Utrumque locum de scientiâ & professione doctrinæ Iohannis exponunt. Hinc ita commentatur Beza : *Baptizari in Iohannis baptismi est profiteri doctrinam, quam Iohannes annunciabat & baptismi obsignabat.* Nobis vero fit similis, totum Baptistæ ministerium eâ voce hinc insinuari, prout & doctrinâ & ritu baptizandi constabat : denominari autem baptismi, veluti à parte potiore ; seu quia notius erat baptismi Iohannis, quàm eius doctrinam, seu quia doctrinæ obsignatio ac tessera erat. Neque tantum in locis citatis, sed & alibi vox ita pro toto Iohannis ministerio capi videtur.

4. V II. Aliàs negari nequit, in Scripturâ S. etiam diluvium, transitum Israelitarum per mare rubrum, & lotiones Leviticæ, quæ omnia ad V. T. spectabant, baptismi nomine insigniri. Mergendæ hominum malitiæ causâ factum est diluvium, quod quantum ad octo animas in arca Noe servatas attinet, ἠνθρώπων nostri baptismi fuisse, doct. 1. Petr. ceterum S. Petrus, his verbis : *Pauca ( id est, octo ) anima servata sunt in aquâ, Cui rei nunc respondens exemplar baptismi, nos quoque servat.* Sed & transitum per mare rubrum, de 1. Cor. x, quo S. Paulus ait, *omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari*, nostri baptismi figuram fuisse, multi ex antiquis Patribus



bus tradunt, ut (a) Cyprianus, (b) Ambrosius, (c) Chryso- (a) l. iv.  
stomus, (d) Augustinus: Nec minus typi nostri baptis- ep. vi. ad  
tis fuerit lotiones Levitica, quibus ij, qui erant immundi, Magnū.  
se suasque vestes mundare tenebantur, secundum legem (b) l. de  
Mosaicam. Auctor epistola ad Hebræos (c) *varios bapti- ys, qui*  
smos appellat. *init. my.*

II X. Addiderunt antiqui Patres duo alia bapti- ster. cap.  
smatis significata sive genera, quæ in Scriptura S. isthoc III. 10. 4.  
nomine nusquam leguntur insignita. Salutare unum, quod (c) *in loc.*  
est *penitentia & lacrumarum* in hac vita; & lethale alte- i. Cor. x. x  
rum, quod est *undarum tartarei diluvij in inferno*. Illius (d) *tract.*  
mentionem faciunt Gregorius Nazianzenus (f), & Scri- xi. in Ioh.  
ptor quæstionum ad Antiochum apud Athanasium (g). (e) *Heb.*  
Utriusque meminit Damascenus (h), ubi octo in universum IX, 10.  
baptismatis genera commemorat, qui quidem numerus ex (f) *Orat.*  
modò dictis facile conficitur. Primum *baptisma*, inquit, xxxix in  
*fuit diluvij in abscissionem peccati*. Secundum, quod per mare S. lum.  
*& nubem*. Signum enim erat *nubes Spiritus*: mare verò pra- (g) *re-*  
ferebat aquam. Tertium, quod *legale*. Omnis enim immun- spons. ad  
dus abluebatur aqua, lavabat *vestimenta*, & sic ingrediebatur castra. q. lxxii.  
Quartum *Iohannis*, *introductorium* existens, & (h) *lib.*  
ad *penitentiam* adducens *baptizatos*, ut in *Christum* credant. IV. de fid.  
Quintum, quod est *Domini baptisma*, quo & ipse *baptizatus* Ort hod.  
est. — Igne autem dicitur *baptizare* *Christus*: nam in specie cap. x.  
igneorum linguarum super sanctos *Apostolos* *Spiritus S.* grati-  
am effudit. — Sextum, quod per *penitentiam & lacrimas*,  
verè laboriosum. Septimum, quod per *martyrium & sangui-*  
nem, quo & ipse pro nobis *Christus baptizatus* est, valde ve-  
nerandum & beatum, quatenus *succedentibus* non *coinquina-*  
tur *sordibus*. Octavum, quod & *ultimum*, non *salutare*, sed  
*malitia exitiosum*: nam non *amplius* *pravit as & peccatum*  
*dominantur*: *punit enim sine fine*.

IX. In tam variâ vocum βαπτίζω & βαπτισμός  
 significatione ambigat forte aliquis, quid sibi velit salvator,  
 quando discipulos ad baptizandum emisit. Neque enim ex-  
 pressit principium QVO, sed simpliciter βαπτίζωτες dixit. O-  
 portet autem baptismum sanguinis vel flaminis vel flumi-  
nis intellexerit. Nam locus, ubi baptismus præcisè pro do-  
 ctrina accipitur, non occurrit, aut sicubi occurreret, ver-  
 bis tamen Christi isthæc significatio haudquaquam conve-  
 niret. Primum μαθητεύσατε ait, quod est docere, & inter-  
 jecto participio βαπτίζωτες, subjicit διδάσκοντες αὐτοὺς ἡμεῖν,  
 docentes eos servare. Quod si ergo interjectum participium  
 etiam docendi significatione caperetur, jam omnia tria ver-  
 ba ejusdem propè significationis forent, quod absolum est.  
 Reliqua autem baptismi genera, præter tria modò dicta,  
 vel non scripturæ, sed tantum unius atque alterius Scripto-  
 ris Ecclesiastici auctoritatem habent, ut salutare baptismum  
 poenitentia, & lethale illud æternæ poenæ; vel ad Vetus  
 Testam. pertinebant, ut semel factum diluvium, semel da-  
 tus transitus per mare rubrum, & ordinariæ olim lotiones  
 Mosaicæ. Relinquitur ergo, ut Dominus Apostolos suos  
 vel aquâ, vel sanguine, vel Spiritu Sancto baptizare jussit.  
 Imò etiam baptismum sanguinis à mente Servatoris alie-  
 num esse, vel ex eo liquet, quòd activo participio βαπτί-  
 ζωτες, non passivo βαπτισθήσονται utitur; sive quòd baptizare  
 eos jubet, non baptizari. Nam baptismum sanguinis solis pa-  
 tientibus ac martyribus gloriosum, agentium ex parte par-  
 ticipium est. Placent, inquam, Deo, qui pro fide Confessi-  
 oneque Christi decertantes (a) ad sanguinis usque profusio-  
 nem restiterunt. Neque exempti cruento hoc baptismum fue-  
 re Apostoli. Nusquam autem jussi sic alios baptizare, aliàs  
 id jussi, quòd in atrocissimis erat flagitiis. Neque etiam de  
 baptismum flaminis intelligi locus potest. Et si enim ipsi non  
 ita

(a) Heb.  
 XII, 4.

ita multis post diebus baptizati sunt Spiritu Sancto, secundum promissionem Christi; nusquam tamen sic alios baptizasse leguntur. Quin potius id muneris atque auctoritatis Johannes Baptista soli Christo vindicavit. *Qui post me Matth. venit, inquit, ipse vos baptizabat Spiritu Sancto & igne. II, 11.* Nec immerito Baptizare enim Spiritus est effundere & dare Spiritum Sanctum, auctoritate propria, quod solius Christi erat. Neque huc quicquam contulerunt Apostoli, nisi fortè ministerium verbi, & quod manus imposuerunt. Restat ergo, ut baptismum fluminis sive aquae Apostolis hic à Christo inunctum esse dicamus. Quod rota Apostolorum praxis demonstrat. Neque enim aliter quam aqua baptizantur, quoscumque baptizantur. Exempla in actis Apostolorum sunt obvia, & postea producentur.

X. Et haec haec hactenus de nominis significatione sive definitione. Essentiam ipsam baptismi nostrae & adversariorum scholae circumscribunt duabus actionibus, quarum una ad usum aquae spectat, altera circa verbum versatur; videlicet *ablutione per aquam, & pronuntiatione horum verborum: EGO BAPTIZO TE IN NOMINE PATRIS & FILII & SPIRITUS S.* Prior actio ex verbis institutionis jam demonstrata est; posterior an demonstrari possit, postea dispiciemus. Interea non praetermittendum silentio est, Doctores Scholasticos baptismum in modum alicujus concipere, quod ex materia & forma sit compositum. Qui concipiendi definiendi que baptismi mos etiam hodie in scholis nostris obtinuit. Quanquam non idem nos materiam & formam appellamus, quod Scholastici appellant. Hi materiam baptismi dicunt esse aquam, & *ablutionem*; formam verò, *pronuntiationem verborum*, quae modò recitavimus. Materiam scilicet id vocant, quod indifferens & pluribus commune est; formam autem, quae id

B

quod

quod aliàs indifferens & commune est, restringitur, ut confurgat ex ijs baptismus. Nunc verò aqua & ablutio etiam extra baptismum dantur, adeoque in communibus & indifferentibus meritò recensentur: *pronunciatio autem verbi* est baptismi propria, quâ ad aquam & ejus aspersiōnem accedente, fit baptismus, secundum illud Augustini:

*tract.* *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Distinguunt etiam Scholastici inter materiam proximam & remotam; hanc aquam, illam ablutionem hominis per aquam esse distant, Quandoquidem non immediatè ex aqua conficitur baptismus, sed interveniente abluendi actione. Hinc

(a) *disp.* Gabriel Vazquez (a) scribit: *In quovis Sacramento, quod in usu consistit, duplicem esse materiam, alteram remotam, alteram verò propinquam, indubitatum est. Remota dicuntur res, quæ in Sacramento assumuntur, vel circa quas actio Sacramenti versatur, ut in baptismo aqua elementaris, quâ utimur ad abluendum: propinqua autem est ipse usus aquæ,*

(b) *ibid.* *nempe ablutio.* Et paulò post (b): *Scholastici omnes absque ullâ controversiâ censent, materiam propinquam huius Sacramenti non esse aquam, sed usum illius, hoc est, ablutionem, eò quod verba, quæ in hoc Sacramento, sicut in aliis habent vicem formæ, non aquæ immotæ, sed ablutioni, quæ fit per aquam, accedant, & eam ad esse Sacramenti & effectum illius determinent. Nam si quis immotæ aquæ adhiberet verba illa, & diceret, EGO TE BAPTIZO, nihil profectus efficeret: Contrà vero si ea verba formæ adhibeat ablutioni, quæ fit per aquam, conficit Sacramentum. Verum igitur est, ablutionem esse materiam propinquam, aquam verò solum esse remotam.*

XI. Nostri autem Theologi de materiâ & formâ huius Sacramenti paulò aliter philosophantur. Quanquam nec illorum una est sententia. Magni nominis Theologus Dn.

Do. D. Leonhartus Hutterus b. m. de materia & formâ sa-  
cramentorum in genere agens scribit : *Sacramentum e in loc.*  
*nim omne tam Novi quàm Veteris Testamenti, non est quid comm.*  
*dam simplex: sed compositum, nempe ex ijs constans, quae* art. XVII  
*habent instar materiae & formae. Et mox partes has compo-* c. 1. p. 11.  
*mentes ita exponit: Prior pars compositi istius semper est ele-*  
*mentum, seu elementare quippiam. Posterior pars compositi*  
*est res caelestis. Postea ubi de baptismo in specie tractat, em art. XIII*  
*terrenam ait esse aquam, quod quidem apud omnes in cap. 6.*  
*confesso est; de re caelesti autem Theologos inter se dissen-*  
*tere, non diffiterur. Alios verbum, alios Spiritum san-*  
*ctum, alios sanguinem Christi, alios denique utrumque*  
*conjunctim, Spiritum S. & sanguinem Christi, cum discrim-*  
*mine tamen subalternationis, loco rei caelestis habere.*  
*Reliquis omnibus toleratis sententiis, unam eorum rejicit*  
*ac refutat, qui rem caelestem esse verbum censent. Si res*  
*geras illud S. Augustini: Accedit verbum ad elementum, tract.*  
*& fit sacramentum; aut quod B. Lutherus in minore Cate. LXXX in*  
*chismo ait, baptismum non esse simpliciter aquam, sed aquam Ioh.*  
*verbo Dei inclusam & comprehensam; respondet laudatus*  
*Hutterus: Sermonem esse Augustino & Luthero non de causis*  
*sive principis oua iudis, quae constituunt & absolunt ipsam*  
*essentiam sacramenti in se, & per se, & quasi absolute consi-*  
*deratam: sed de principis noui iudis, quae totam actionem sa-*  
*cramenti, & non solam eius substantiam absolunt. Et de*  
*Sacramentis in genere scripserat: Verbum nunquam vel articu-*  
*lum cum re terrenâ, vel cum re caelesti sacramentaliter unitur: ac XVII*  
*proinde sacramenti substantiam neque constituit neque ingre-* cap. 1.  
*ditur. Ergo Verbum neque materia neque forma Sacramenti qu. 1.*  
*dici potest. Neque obstat illud Augustini tractatu LXXX in*  
*Iohannem: ACCEDAT VERBUM AD ELEMEN-*  
*TPM, ET FIT SACRAMENTUM. Nam non dicitur*

ουσα τινδν sive partem essentialem: sed αὐτὴν τῶν ἰνδν saltē  
Augustinus his verbis notare voluit. Αὐτὴν τῶν ἰνδν autē  
vocat illud, quod ipsam substantiam totius compositi non ingre-  
ditur, quippe quae non nisi ex re terrenā & caelesti constat: li-  
cet hac ipsa duarum istarum rerum compositio, sine verbo hoc  
nunquam fiat. Quae cum ita de sacramentis in genere disce-  
ruisset, mox illustrat exemplo ab Eucharistiā petito, cū  
interim baptismi eandem esse rationem censeat. Exempli  
gratiā, inquit, sacramentum Eucharistia consensu omnium  
orthodoxorum Theologorum, tanquam totum compositum,  
constat ex re terrenā sive elementari, PANE & VINO;  
& re caelesti, CORPORE & SANGVINE CHRISTI;  
sacramentaliter unitis. Ergo si hoc compositum in partes suas  
essentiales resolvo, certē resolutio hac non fit in ELEMEN-  
TVM & VERBVM, sed in ELEMENTVM & REM  
COELESTEM. Vnde irrefragabiliter sequitur, αὐτὴν οὐ-  
σα τινδν aut partes essentiales huius compositi esse rem terres-  
nam & caelestem: quibus duabus simul sumtis & unitis, unum  
demum emergit totum sacramentale. Et paulō post Ver-  
bi efficaciam explicans scribit: VERBVM hoc esse αὐτὴν οὐ-  
σα τινδν, hoc est, efficere, ut duae illae partes essentiales unum  
sacramentum constituent in usu Sacramenti: licet verbum  
istud essentiam, tanquam pars essentialis non constituat. Ad  
eundem modum & baptismum non vult componi ex ele-  
mento & verbo, sed ex re terrenā & caelesti, verbo extrin-  
secus accedente, & in modum αὐτὴν οὐ-  
σα τινδν partes essen-  
tiales uniente, ut ex ijs Sacramentum consurgat.

XII. Caterū non negat B. Hutterus, ad admini-  
strandum baptismum ex parte ministri etiam geminam a-  
ctionem requiri: tum hominis sive immersi aquā sive ad-  
spersi abluionem, tum S. Trinitatis ex praescripto Christi  
invocationem, sive quod idem est, praescripti verbi pro-  
nun-

nunciationem. Quando interim totam baptismi substan-  
 tiam re terrenâ & coelestî circumscribit, actiones illas in  
 censum principiorum *ουσαίων* non venire tacitè subina-  
 nuit. Neque *ἐν τοῖς κοιντοῖς* videtur recensuisse, quando-  
 quidem disertè scribit, *unionis huius* (quâ sc. partes essentia-  
 les Sacramenti uniuntur) *vim sive virtutem non depende-  
 re ex naturali aliquâ actione, neque ex recitatione verborum,  
 sed à promissione Christi instituentis.* Restat ergo, ut utram-  
 que actionem non plus quàm *causam sine qua non* esse exi-  
 stimârit. Huc enim tandem redit B. viri sententia: Virtute  
 & efficacîâ verbi componi quidem Sacramentum ex re  
 terrenâ & coelestî, tanquam ex principiis *ουσαίων*, sed  
 non nisi in usu, sive non absque abluentis aquæ admotione  
 & verbi recitatione.

XIII. Ab his mirum quàm dissentiat Beatus Ger-  
 hardus, maximè inter nostros & ipse quondam existimati-  
 onis Theologus. Primùm non *rem terrenam & celestem*  
 ita distinguit, tanquam illa sola *materia*, hæc *forma* fit,  
 quæ laudati Hutteri erat sententia; sed utramque *materia*  
 loco habet. Deinde rem coelestem *verbum* esse ait, quod  
 & ipsum B. Hutterus, quanquam alio fortè sensu negabat.  
 Qua de re differendi infra opportunior erit locus. Præterea  
 geminam quam dixi actionem, tum quâ *aqua* ad abluen-  
 dum hominem adhibetur, tum quâ *verbum* recitatur, prin-  
 cipiorum *ουσαίων* alterum; formam videlicet baptismi  
 constituit, contra quàm fecit B. Hutterus. Unde postquam  
 de re terrenâ & coelestî quasi de materia egerat, mox ad for-  
 mam progressus scribit: *Atque hac de materia baptismi di-* Cap. V.  
 et a. sint. *Forma baptismi in actione consistit, videlicet in de ba-*  
*mersione hominis baptizandi in aquam, sive quod perinde est, ptism. §.*  
*in affusione aquæ; ac deinde in recitatione verborum insti-* 87.  
*tutionis: Ego Te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus*

B. 3.

Sancti

*Sancti. Ut in universum tres substantiales baptismi partes  
sint statuenda, quae non possunt divelli aut mutari, scilicet  
AQUA, VERBUM & ACTIO, quae complectitur mer-  
sionem hominis in aquam vel aqua adspersionem, & recitatio-  
nem verborum: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii &  
Spiritus Sancti.*

XIV. Tres in universum substantiales partes bap-  
tismi esse, *aquam, verbum & actionem*, tam catholicum ac  
verum, quam quod maximè est. Sic docet Scriptura; sic  
sensere veteres; sic nostri hodieque præter laudatum Ger-  
hardum DD. loquuntur. Quid autem *materia*, quid *for-  
me* loco sit, de eo non mirum est tot esse dissensiones, cum  
termini illi tantum per analogiam & quidem valdè impro-  
prium huc trahantur, quæ varia esse potest. Uno modo  
*materia* dicitur, *quicquid propositæ actioni substernitur, ut  
inde peculiarem formam ac denominationem capiat*. Quo  
modo baptismi materia est aqua, ut quæ sacra & divinitus  
instituta actioni cum physicâ & morali quadam sui muta-  
tione substernitur. Physicè mutatur hoc ipso, quod verè  
moveretur vel admoveretur ad abluendum hominem, sive a-  
spersione, sive hominis immersione; moraliter verò, quod  
virtute & efficaciam accedentis verbi consecratur ad bap-  
tismum, & ab aquâ vulgari segregatur. Alio modo materia  
baptismi id dicitur, *quod cum abs se sit indifferens & commu-  
ne, per aliud quid restringitur & determinatur, ut fiat vel sit  
baptismus*. Quâ notione materia huius sacramenti non tan-  
tum aqua est, sed ipsa etiam hominis per aquam *ablutio*;  
Ecquid enim communius aut magis indifferens est, quam  
*ablui aquâ*? Quod si autem accedat verbum hoc: *Ego te  
baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*; tum ab-  
lutio hominis consecratur & à profanis lotionibus secerni-  
tur, ut ita fiat ac sit baptismus. Qua de causâ Scholastici  
solam



solam illorum verborum pronunciationem *forma* loco habent. Fiet autem pace Theologorum his terminis Metaphysicis utentium, si nos planè ab ijs abstineamus. Magis enim intricari eorum usu essentia baptismi quàm extricari nobis videtur. Neque quicquam ad legitimam ejus administrationem refert, an & quid ac quâ analogiâ *materiam* vel *formam* appelles.

XV. Interim inter tria illa, quæ ad substantiam baptismi diximus requiri, non ignorandum est hoc maximi momenti intercedere discrimen, quòd unum tantum in casu recto de ipso baptismi prædicatur, reliquis in obliquo connotatis. Non scilicet baptismus simul *aqua*, *verbum* & *actio* est, sicut multi milites unus exercitus sunt. Neque enim baptismi nomen collectivum est, & præterea adeò diversi generis tria ejus momenta sunt, ut totum quid per aggregationem, quod uno collectivo nomine possis exprimere, haut constituant, præsertim cum talis unitus ad alterum sit habitudo, qualis principii vel causæ est ad id, quod inde procedit aut in esse suo dependet. Siquidem *aqua* est principium *quo*, i. e. quò fit abluendi *actio*; & *verbum* est principium, *quo* sanctificatur isthæc *actio*, ut non sit lotio vulgaris, sed baptismus. Unum itaque tantum ex istis tribus baptismi idem in casu recto sit oportet, reliquis ob *genus* & habitudinem, quâ baptismum, aut id quod de baptismi in casu recto prædicatur respiciunt, in casu obliquo connotatis, seu ut Aristoteles loquitur, *en meç d'ètois* assumtis. Quanquam quidam illorum trium baptismi (sit vena barbaro Scholasticorum verbo) identificetur, Theologorum non est, certè non videtur esse concors sententia, quòd baptismum definiendo, alij *aquam*, alij *abluendi actionem*, quidam etiam *verbum* in casu recto expresserunt.

XVI.

(a) l. 11.  
de Sacr.  
art. 81.  
cap. 11.

(b) in ca.  
tech. mi-  
nor.

(c) in  
artic.  
Schmalc.  
cap. v.  
(d) l. xix  
contra  
Faust.

cap. xvi.  
& in Ioh.  
tr. lxxx.

XVI. Hugonis de Sancto Victore (a) definitio est: *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Ubi aqua in casu recto de baptismo enunciat, & verbum Dei in obliquo connotatur, omisâ quidem, sed subintellectâ illius actionis mentione, quâ aqua ad abluendum hominem admoventur. Cui planè gemina est illa B. Lutheri (b) pervagatissima descriptio: *Baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua mandato Dei septa, & verbo Dei coniuncta.* Quanquam imperterritus ille veritatis assertor, alibi baptismum definiens, *verbum etiam in casu recto expressit, cum ait: (c) Baptismus nihil aliud est, quam verbum Dei cum mersione in aquam, secundum ipsius institutionem & mandatum.* Nec ab hac sententiâ abluat S. Augustinus (d) ubi Sacramentum in genere *verbum visibile* appellat. Plerisque interim placet, *baptismus esse ipsam actionem, quâ homo in aquâ aut per aquam abluatur, in nomine SS. Trinitatis.**

XVII. In tanta descriptionum sive loquendi formularum varietate non immeritò ambigas, quænam cui sit præferenda. Omnes propriæ & genuinæ esse non possunt, sed una propria sit oportet, reliquis ad impropria prædicationum ac locutionum genera rejectis. Quanquam & illæ, quæ impropriâ prædicatione constant, utiliter traduntur, additâ dextrâ explicatione. Baptismus propriè esse *actionem*, & origo nominis docet, & inde deducta baptizatorum denominatio. Deductum scilicet est nomen à verbo *βαπτίζω*, quod est *mergere vel lavare, & sic agere.* Et Logicè *baptizati* denominantur homines, non ab *aqua* per verbum sanctificatâ, neque ab ipso *verbo* eam sanctificante, sed ab *actione*, quâ homo in aquâ abluatur, sanctificante & efficaciam impertiente verbo. Quamobrem baptismus propriè neque *aqua* est, neque *verbum*, sed ipsa *a-*

et 10,

*Actio*, & quidem mergendi vel abluendi actio: *aquam* autem & *verbum* connotat ut principia quibus, i. e. quibus actio baptizandi peragitur. *aqua* enim est principium, que fit abluendi actio: & *verbum* est, quo sanctificatur ablutio, & à vulgaribus lotionibus secernitur, ut sit baptismus. Primum itaque de *abluendi actione*, dein de principiis baptismi in casu obliquo connotatis, *aqua* scilicet & *verbo* agemus; terminis Metaphysicis, *materia* & *forma*, omissis; quorum non est usus, nisi in compositis, aut in ijs, quæ cum compositis expressiorem analogiam, quàm in hoc baptismatis Sacramentum habent. Si enim baptismus est *actio*, non certè apparet, quomodo ijs respondeat, quæ ex *materia* & *forma* constant. Quin potius ipsa *actio* est forma, cujus essentia neququam à *materia* & *forma*, sed à principiis activis, *subjecto*, *termino*, & aliis connotatis ducitur.

XIIX. Cum bifariam fieri possit ablutio, vel *immersione* hominis in aquam, vel aquæ *adspersione*; id cum primis ad institutum pertinet scire, utro modo rectè baptismus peragatur. In verbis institutionis nihil eà de re determinatum est. Etsi enim *verbum βαπτίζω*, quo Servator utitur, frequenter *immersionem* significat: aliquando tamen etiam, tam sacro quàm profano usu, pro *qualibet ablutio* capi nullum est dubium: ut ita vi laxioris suæ significationis ab actu immergendi & adspargendi abstrahatur, & pro re natà de utroque usurpetur. Constat autem ex aliis Scripturæ locis, Johannem Baptistam & Apostolos *immergendo* baptizasse. Etenim à Johanne Judæi *baptizabantur in Jordane*. Si aqua fuissent adspersi tantum, nec alius immergi fluvio, certè non *in Jordane esse baptizati* dicerentur, sed sive *ex Jordane*, ob aquam inde haustam, sive *ad Jordane*, ratione sitûs & loci. Nunc verò cum dicantur esse *baptizati in Jordane*, intelliguntur in fluvium illum se

G.

demi-

demisſe, ut aquis ejus immergerentur. Ita etiam Chriſtus, cum baptizari à Johanne vellet, ingreſſus eſt fluvium Jordanem, & *baptizatus*, i. e. immerſus, *aſcendit ſtatim ex*  
*ibid. v. aqua.* Aliàs baptizabat Johannes etiam in AEnon prope Sa-  
16. lim, quoniam aquæ multæ erant illi. Certè ad aſperſionem  
Job. III, non adeò multū aquarum requirebatur. Probabile itaq; eſt,  
23. Baptiſtam locum, in quo multæ erant aquæ, idcò elegiſſe, ut  
qui baptizarentur, immergi poſſent. Sed & immerſione  
baptizatum à Philippo Eunuchum eſſe, hiſ clariffimis ver-  
Act. XIII bis docet Lucas: *Ac deſcenderunt ambo in illam aquam, Phi-*  
38. *lippus & Eunuchus, & hunc ille baptizavit.*

XIX. Neque in Apoſtolorum obitu exſpiravit ille  
baptizandi mos, ſed per plura ſecula continuatus ad ſeram  
poſteritatem tranſiit. Quin & modus mergendi, qui in ſa-  
cris literis tacetur, ex veterum monumentis liquidò con-  
ſtat. Plerique tradunt, & *totum corpus & nudum & ier a-*  
*quis merſum fuiſſe.* Rationes vel ſignificationes huius ritus  
non contemnendæ partim ab ipſis redduntur, partim  
reddi poſſunt. Et primùm quidem *merſionem totius corporis*  
morti & ſepultura Chriſti, & *emerſionem ex aquâ* reſurrecti-  
Rom. VI, oni ejus ajunt reſpondere, inducti illis S. Pauli verbis: *An*  
3 & 4. *ignoratis, nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum,*  
*in mortem eius eſſe baptizatos? Conſepulti ſumus igitur ei per*  
*baptiſmum in mortem: ut ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mor-*  
*tuis in gloriam Patris, ita & nos novâ vitâ ambulemus.* Vi-  
detur quidem Apoſtolus præcipuè ad interiorem renovati-  
onem cordis reſpicere, quâ ſepelitur vetus & reſurgit no-  
vus homo: at veteres etiam ad externum illum actum, quo  
corpus aliquantisper abſconditur merſum aquis, & poſtli-  
miniò emerſum luci redditur, extendi analogiam poſſe  
cenſuerunt. Unde Tertullianus verbum *reſurgendi* diſer-  
tè de hominis aquis merſi extractione ſive emerſione uſur-  
pat.

pat. Nihil aliud est, inquit, quod obduret mentes hominum, l. de  
 quam simplicitas divinatorum operum, qua in actu videntur, bapt. cōd.  
 & magnificentia, qua in effectu reponitur: ut hic quoque tr. Quin  
 (scilicet in baptismo) quoniam variā simplicitate, sine pompa, rill, c. 11.  
 sine apparatu novo, denique sine sumtu homo in aqua demissus,  
 & in ea pauca verba iunctus, non multo nec nihilo mundior  
 RESURGIT, eò incredibile existimeretur consecutio aterni-  
 nitatis. Ita Quintillam & alios reprehendit, negantes, ani-  
 mum in baptismo ad remissionem peccatorum & aternita-  
 tis spem purgari, cum ob vilitatem aquæ, tam quòd ne à  
 fecibus quidem corporis, is qui mersus est aqua, mundior  
 exeat. Alij pari analogiā mersionem corporis sepulturam  
 appellant. Scire ait (a) Basilius Magnus: οἷον εἰς τὸ ἐνθάδε. (a) l. de  
 τοῦ τῷ ὕδατι τῶν βαπτιζομένων τὰ σώματα. Eorum enim qui Spir. S.  
 baptizantur corpora, quodammodo aquis insepeliuntur. Et p. 322.  
 Gregorius Nyssenus (b): Ημεῖς ἢ τὸ βάπτισμα πῶς λαμβάνομεν (b) hom.  
 νοῦν, εἰς μίμησιν τῆς κυρίας καὶ διδασκάλης καὶ καθηγεμόνης ἢ in diena  
 μῶν, εἰς γῆν ἢ μὴ εἰς θαπτόμεθα ( αὐτὴ γὰρ τὴν νεκρῶν ἐστὶν ἡ γῆ.  
 πλὴν σώματος γίνεταί σκέπη, τὴν ἀδένειαν καὶ φθερὰν τῆς  
 φύσεως ἡμῶν περιέχουσα ) ὅτι δὲ τὸ συγγενὲς τῆς γῆς στοιχεῖον  
 τὸ ὕδωρ ἐρχόμενοι, ἐκείνῳ ἑαυτοὺς ἐγκυρῶμεθα, ὡς ὁ σωτὴρ τῇ γῆ.  
 Nos verò baptisma assumentes ad imitationem Domini & do-  
 ctoris & praeceptoris nostri, in terrā quidem non sepelimur  
 ( hac enim infirmitatem & corruptionem natura nostrae coope-  
 riens morte penitus perempti corporis tegumentum existit )  
 sed ad terrā cognatum elementum aquam venientes, in illā,  
 sicut servator in terrā, nos abscondimus.

XX. Deinde quare ter facta sit corporis mersio, non  
 una Scriptorum Ecclesiasticorum tam veterum quam re-  
 centiorum conjectura est. Nonnulli in analogia modò di-  
 ctā persistunt, ut quemadmodum ipsam mersionem mortis  
 ac sepulturæ Christi, sic trinam mersionis repetitionem tri-  
 duano

duano mortis ejus tempori respondere arbitrentur. Hinc  
*de Spir.* Basilii M. scribit: *Εν τρισίαι εν τρις καταδύσεις και αναστάσεις*  
*S. cap.* *τρις διακρίσεις τὰ μέγα μυστήριον τῆ βαπτίσματος πλεῖς ται,*  
*XV. p.* *ἵνα και ὁ τὸ ἀθανάτου τῆ πῶ εἰς ἐξουσιάζῃ. Tribus igitur demer-*  
*322.* *sionibus ac totidem invocationibus magnum baptismatis my-*  
*orat. ca.* *sterium peragitur, ut & mortis (Christi) figura adumbratur.*  
*tech. cap* *Et Gregorius Nyssenus: Τὸ ὕδωρ τρις διακρίσεις, και πῶ*  
*xxxv.* *λυ ἀναβαίτες ἀπὸ τῆ ὕδατος, τὸ πῶ ἡριον ταφῶν και ἀνα-*  
*p. 99.* *στασι τῶν ἐν τρισίαις γενομένων τῶ χροῖα διακρινόμεθα. Aquâ*  
*ter mersi, & rursus adscendentes ex aqua, salutarem sepultu-*  
*ram & resurrectionem (Christi) in triduo factam tempore*  
*imitamur. Quibus gemina occurrunt in dictis & interpre-*  
*rationibus parabolâ Evangelij, apud Athanasium, sed*  
*resp. ad* *sunt: ὡς περ ὁ Χριστὸς ἀπέθανεν, και τῆ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀνέστη, ἕ-*  
*qu. xciv.* *τως και ἡμεῖς ἐν τῶ βαπτίσματι θνήσκοντες ἀναστρέμεθα. Τὸ δὲ*  
*καταδύσαι τὰ παιδίον ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τριῶν και ἀναδύ-*  
*σαι, τῆ ἑθνητικῆ θανάτου και τῶ τριῶν ἀνάστασις ἰσχυρῶς.*  
*Sicut Christus mortuus est, & tertiâ die resurrexit: sic & nos*  
*in baptismo morientes resurgimus. Nam quod infantem ter*  
*in aquam immerginus, & ter educimus, id verò significat*  
*mortem & triduanam resurrectionem Christi. Græcis con-*  
*sentiant Latini. Leonis Magni ad universos Siciliae episco-*  
*ep. lrv.* *pos epistola habet: In baptismatis regulâ & mors interve-*  
*nit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur*  
*trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis ad instar est*  
*epist. ad* *de sepulcro. Eandem in sententiam Fulbertus Carnotensis,*  
*Atcodat.* *undecimi seculi scriptor, ait: Sicut ergo Dominus noster Je-*  
*rom. III.* *sus Christus tribus diebus & tribus noctibus corporaliter sub*  
*Bib. PP.* *terra sepulcro conditus fuisse describitur, & homo ita sub co-*  
*Paris. e-* *gnato terra elemento trinâ vice demersus operitur, ac si vita-*  
*dit. p.* *lis imitatione mysterij dum demergitur, sepelitur; dum educie-*  
*436. l. D.* *tur,*

rar, suscitatur. Item qui eodem, sed vergente seculo vi-  
xit, Ivo, Carnotensis quoque episcopus & *Sub responsione de Eccl.*  
igitur trina interrogatio, trinâ mersione catechumenus à Sacram.  
sordibus vetustatis abluitur, & novum hominem indutus, tri- rom. x.  
duana Domini sepultura conspeliatur. *Bibl.*

XXI. Alij censent, si vel maximè huic ritui nulla PP. p.  
subesset mystica significatio, idè tamen ter mergi corpo- 772.  
ra, quòd in nomine Patris & Filij & Spiritus S. tingantur,  
iterato scilicet ad singularum personarum mentionem  
mergendi ac tingendi. Nec hæc interpretatio vel modò di-  
cta vel quibuscunque aliis antiquitate cedit. Placuit enim  
Latinorum antiquissimo Tertulliano, ita agentì: *Novissi l. contra*  
*me mandavit, ut tingerent in Patrem, Filium & Spiritum Patrem,*  
*Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed iter ad singula no- cap. xxxvi*  
*mina, in personas singulas, tingimur. Nempe eo ipso, quòd*  
*dicit, ad singula nomina, significat, mersionem pro distin-*  
*ctione & numero personarum iterari. Idem tradit auctor*  
*libri de Ecclesiastica Hierarchia, qui falsò creditur esse Di-*  
*onysius Arcopagita: τρις μὲν αὐτὸν ἀεὶ ἐπάγει Πατέρα, cap. II.*  
*αὐτὸν γὰρ τὸ ἑκαστὸν ἀναδύομαι καὶ ἀναδύομαι εἰς τὸν πατέρα, part. II.*  
*ἵνα μὴ πᾶσι τὸν αὐτὸν ἀναδύομαι εἰς τὸν πατέρα. Ter quidem illum*  
*Sacerdos demergit, atque in tribus eius, qui inicitatur, demer-*  
*sionibus & emersionibus, trinam divinam beatitudinis hyposta-*  
*sin appellat & invocat. Neque ab hac sententia diversi e-*  
*unt, qui idè ajunt ter fieri mersionem, quòd trina sit in-*  
*terrogatio, trinaque confessio: Neque enim quare vel hæc*  
*vel illa sit trina, alia dari potest causa, nisi quòd tres sint Di-*  
*vinitalis persona. Manifestissima hanc in sententiam Am-*  
*brosii verba sunt: Interrogatus es: Credis in Deum Patrem l. II. de*  
*omnipotentem? Dixisti, credo: & mersisti, hoc est, separatim Sacram.*  
*es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum te- cap. VII.*  
*sum Christum, & in crucem eius? Dixisti, Credo: & mersisti.*

C. 3.

Idèd.

Idèd & Christus es sepultus. Qui enim Christus sepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum Sanctum? Dixisti, Credo: tertio mergisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. Quæ loc. cit. verba allegat & probat Ivo Carnotensis. Nec ijs ab similia tradit Albinus Flaccus, qui & Alcuinus dicitur, nisi quod non ad singulas interrogationes & confessiones, ut Ambrosius, sed postquam trina interrogatio confessioque præcessit, ad singula S. Trinitatis nomina mergi corpus commemorat. Sacerdotis interrogationem, & ejus qui baptizatur confessionem trinam ita effert? *Credis in Deum Patrem omnipotentem? & respondet; Credo. Et in Iesum Christum filium, usque, passum? Respondet; Credo. Credis & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam? Respondet; Credo.* tom. X. *Quibus præmissis, Deinde, ait, baptizat eum sacerdos sub trina merfione tantum, sanctam Trinitatem semel invocando, ita dicens: Ex ego te baptizo in nomine Patris, & mergit semel; & Filij, & mergit iterum; & Spiritus Sancti, & mergit tertio.* p. 259.

XXII. Nonnulli trina merfionis ritu ad utrumque jam dictum mysterium, tam SS. Trinitatis, quàm triduanæ mortis ac sepulturæ Christi, respectum veteres habuisse conjiciunt. Erat hæc conjectura S. Augustini, qui in h. part. III. miliâ tertiâ, citante verba Gratiano, scribit: *Postquam decr. de vos credere promissistis, tertio capiti vestra in sacro fonte deconsecr. merfimus: qui ordo baptismatis duplici mysterij significatione dist. IV. celebratur. Rectè enim tertio merfistis, qui accepistis baptismum in nomine Sanctæ Trinitatis. Rectè tertio merfistis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi; qui etiam die tertiâ resurrexit à mortuis. Illa enim tertio repetita demersio typum Dominicæ exprimit sepultura, per quam Christo sepulti estis in baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide.*



*fide.* Ad utrumque mysterium videtur etiam respicere  
Gregorius Nyssenus, cum ait: *Ad terra cognatum elemen- hom. in*  
*rum aquam venientes, in illa sicut Servator in terra nos ab- bapt.*  
*scindimus, idq; cum ter simul fecimus, triduo peractam nobis Christ. p.*  
*resurrectionis gratiam effingimus, eaq; facimus, non silentio 372.*  
*mysterium assumentes, sed trium sanctarum hypostaseon, in*  
*quas credimus, in quas etiam speramus, ex quibus nobis con-*  
*tingit, ut & nunc simus & rursus futuri simus, nominibus su-*  
*per nos pronuntiatis.* Gregorius M. epistolâ ad Leandrum *libr. 1.*  
episcopum Hispalensem præcipue quidem probat mysti- *ep. xli.*  
cam significationem triduanæ Christi sepulturae & resurre-  
ctionis, cum scribit: *Nos autem quod tertio mergimus, tri-*  
*duanæ sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio infans*  
*ab aquis educitur, resurrectio triduanæ temporis exprimat.*  
Sed mox subinnuit, se non repugnare, si quis forte etiam  
pro summæ Trinitatis veneratione estimet fieri. Addunt  
quidam recentiores duabus jam dictis mysticam significa-  
tionem tertiam, sed nimis longè petitam. Peccatum a junct  
tribus modis committi, suggestione, delectatione & con-  
sensu: adeoq; ut secundum omnes tres peccati gradus quasi  
sepeliatur, ter mergi corpus, utq; resurrectio ejus ad vitam  
à tribus peccandi modis intactam denotetur; totidem mo-  
dis ex aquis elevari. Hunc in sensum Albinus Flaccus libro  
de officiis divinis scribit: *Recte homo, qui ad imaginem san- de Sab-*  
*ctæ Trinitatis est conditus, per invocationem sanctæ Trinit bath. S.*  
*tatis ad eandem renovatur imaginem, & qui tertio gradu Pasch.*  
*peccati, id est, consensu, cecidit in mortem, tertio elevatur tom. X.*  
*de fonte, ut per gratiam surgat ad vitam.* Quæ ad verbum *Bibl.*  
exscripsit Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, *pp. p.*  
Albini quondam auditor. Ne verò superiores duas inter- *258.*  
pretationes rejicere vel improbare videretur, subjunxit:  
*Potest & hæc trinamersio triduanam Domini sepulturam si-*  
*gnifica-*

gnificare, maxime cum dicit apostolus: Quicumque baptizati  
 sumus &c. Item: Oportet ergo cum invocatione sanctæ Tri-  
 nitatis sub trinâ mersione baptismum confici, ut secundum per-  
 sonarum differentiam mysterium baptismi celebretur, & se-  
 cundum unitatem substantiæ unum baptismus fiat. His inter-  
 pretationibus & conjecturis non contentus Honorius Au-  
 gustodunensis, plures addidit. Mersionem in genere eod-  
 dem modo quo alij interpretatur. Quod sub undis tegitur,  
 l. 111. de inquit, quasi sub terrâ sepelitur. Sed trinæ mersionis tres  
 antiqu. reddit causas: (I.) Ter mergitur, quia anima tribus modis,  
 ritumis. scilicet cogitatione, locutione & opere moritur, & his tribus  
 sar. cap. mortibus per fidem Trinitatis eripitur. (II.) Ter etiam ideo  
 exi. tom. mergitur, quia omne peccatum tribus modis, scilicet suggesti-  
 x. Bibl. one, delectatione, consensu committitur. (III.) Ter quoque  
 FP. p. ideo mergitur, ut homo à naturali & à præscripta legis & e-  
 2285. vangeli prævaricatione solvatur. Mediam fortè ab Albi-  
 no & Rabano mutuatus est: primam autem & postremam,  
 cum alij taceant, ipse videtur addidisse. Aliàs de ternâ ex  
 aquis extractione æquè cum aliis pronunciat: Quod tertiâ  
 vice de fonte extrahitur, quasi tertiâ die cum Christo resurge-  
 recernitur. Meminit etiam, quod obiter monemus, Se-  
 verus Patriarcha Alexandrinus, ternæ mersioni totus  
 plicem corporis situm respondisse, cum ait: Sacerdos  
 de rit. ter attollit (corpus) ex aquis, à fronte, à tergo, & alto-  
 baptism. rolaterum eius. Unaquæque igitur erat totius corporis  
 tom. VI. mersio, sed prona una, altera supina, tertia transversa sive  
 Bibl. PP. in alterutrum latus flexa.  
 p. 32. XXIII. Quare denique positus vestibus & nudo cor-  
 pore fuerint merli, nec una hîc veterû erat conjectura. Cen-  
 catech. suit Cyrillus Hierosolymitanus, hunc ritum esse imaginem  
 myst. 19. exuendi veteris hominis, & imitandi hominis primi, cum  
 11. nudus erat sine pudore, aut Christi in cruce nudati. Cui  
 confes-

consentit (a) Chrysostomus, præsertim quod similitudinem (a) *hom.*  
exuendi vel exuti veteris hominis attinet. Ambrosius (b) *vi. in c.*  
ideò nos ait *nudos accedere ad lavacrum, ut nudi quoque & II. Coloss.*  
*expediti ad calicis azuam properemus.* Quæ verba ex ipso ferè (b) *serm.*  
exscripsit (c) Bernhardus. Sed & absque mysticâ signifi-  
catione esset, convenientius & gratius naturæ foret, nudum (c) *XLVI*  
mergi, quàm vestitum. Quanquam nolumus hinc ritus *de paup.*  
originem accersere, quia nimis trita & vulgaris ratio est.  
Illud autem attendi meretur, quòd Servator baptismum  
instituendo, præcisè corporis, non etiã vestium lotionem  
injunxit. Quod si ergo cum vestibus essent tincti, qui olim  
baptizabantur, potuisset videri hoc ad substantiam bap-  
tismi pertinere, quasi unã vestium lotio esset baptismus, ad  
eum modum, quo Judæis vestium lotiones mandatae erant.  
Quòd perversæ opinionis ne procederetur, denudatione co-  
rum, qui baptizabantur, cautum est.

XXIV. Et astringebantur ad hunc ritum mulieres  
non minùs quàm mares. Unde quòd nuda mergerentur  
mulieres, Conon presbyter in monasterio Penedula non  
potuit eas sine titillatione carnis baptizare, referente Johan-  
ne Moscho, cujus hæc sunt verba: *Quadam verò die venit prat. Spã*  
*puella ex Perside, ut baptizaretur, qua ita speciosa erat ac tan- rit. cap.*  
*ra pulcritudinis, ut non posset presbyter nudam eam sancto o III.*  
*leo intingere.* Et propterea ex monasterio recedere parabat.  
Memoratu etiã digna est història, quam Chrysostomus  
epistolâ ad Innocentium Papam recenset. Erat à Theophi *tom. V.*  
lo, Alexandrino episcopo, excitata gravis ac periculosa se- *epist. I.*  
ditio, & mulieres, quæ intra Ecclesiam, ut baptizarentur,  
*història*  
se se veste nudaverant, per id tempus nuda fugiebant, metu  
acerbissima huius commotionis impulsæ: neque sexus verecun-  
diæ & honestati permittebantur præ pavore consulere. Et  
quod mirum, adeò profusam fœminas quàm mares nu-  
dari

dari consuevisse tradidere veteres, ut ne verenda quidem  
linceo velata eos habuisse meminerint. Unde antiquitatis  
*de bapt. disp. 1. th. VI.* peritissimus vir Gerardus Joannes Vossius scribit: *Posito pudore, toto penitus corpore nudabantur; adeo ut ne fasciam quidem (qualem pictores honestatis causâ appingere solent) obduxisse videantur partibus pudendis. Saltem earum apud veteres mentio non est: sed ita loquuntur universi, quasi non minus nudi baptizarentur, quàm Adam fuit in paradiso, vel quàm de matre omnes nascimur, vel quàm petemus cælos, vel quàm Christus cruci affixus fuit: quanquam hic etiam pictorum mos est, partes medias linceo velare, qui non tam facti spectant veritatem, quàm quid maximè conveniat moribus nostris. Intercâ ut muliebri verecundiâ atq; pudori prospiceretur, non tantum seorsum à viris baptizabantur mulieres, sed & à diaconissis, siye ab aliis huic ministerio delectis mulieribus, plerumque viduis & aniculis, honestè & eâ cautione nudabantur, ne quid pudendarum partium ministerii oculis ingereretur. De separatis à mulierum baptismo*

*(a) prof. maribus Cyrillus Hierosolymitanus (a), Augustinus (b), catech. Albinus Flaccus (c), & alij testantur. De diaconissarum autem ministerio scribit Epiphanius (d): Quando nudatum de C. D. fuerit corpus mulieris, ut ne à viris sacra administrantibus cap. IIX. conspiciatur, sed à diaconissâ, cui præcipitur à sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris, in tempore denudationis corporis ipsius.*

*(d) hær. XXV. Atque adeò constat, baptismum apud veteres sub unâ atque alterâ significatione mysticâ ita administratum fuisse, ut totum corpus, præviâ denudatione, ter aquis mergeretur. Atque hic quidem baptizandi mos in hunc usque diem in Ecclesiâ Græcâ, ut quæ antiquitatis studiosissima est, servatur. Quod scriptores recentissimi, Jeremias & Metrophanes Critopulus, ambo Patriarchæ*

archæ Constantinopolitani, testantur: ille in quodam ad  
Wittebergenſes Theologos ſcripto (a), hic in editâ apud nos (a) *reſp.*  
& à Cl. Horncio Latinè verſâ confeſſione Catholica & *Ar. II. c. IV.*  
poſtolicæ Orientis Eccleſiæ (b). Nolumus verba appone- (b) *Cap.*  
re, quia utriuſque in omnium manibus ſcripta ſunt. In oc. VII.  
cidentalî autem Eccleſiâ ſucceſſu temporis morem bap-  
tizandi non nihil mutatum eſſe, tam ſuperiorum ſeculorum  
hitoriâ, quàm noſtrorum temporum praxi edocemur.  
Neq; tamen propterea quicquam de ſubſtantiâ baptiſmi ex-  
iſtimandum eſt deceſſiſſe.

XXVI. Merſionem quòd attinet, non eam ut vidi-  
mus, Servator mandavit, ſed *βαπτίζω* ſive *baptizare* Apo-  
ſtolos juſſit, quo verbo, vi laxioris ſignificationis, quamli-  
bet etiam *ablutionem* ſignificari, fixum manet & in confeſ-  
ſo. Nihilominùs eam divini juris eſſe, & ad ſubſtantiâ  
baptiſmi pertinere, bifariâ videtur probari poſſe: pri-  
mâ quòd Johannes Baptiſta & Apoſtoli immergendo bap-  
tizârunt, quarum praxiſ & conſuetudo pro lege eſſe de-  
bebat: deinde quòd baptiſmus ratione immerſionis eſt  
imago mortis ac ſepulturæ Chriſti, ſecundum ipſa S. Apo- *Rom. VI.*  
ſtoli ſuperiùs citata verba. Verùm neutra ratio rem confi- *3 & 4.*  
cit. Prior ab Johannis B. & Apoſtolorum praxi petita ne-  
minem movebit, qui cogitaverit, compluſcula jure divino  
non definita, humanâ auctoritate Apoſtolos definiſſe,  
idquæ flagitante ſic neceſſitate, ut eſſet certa, quâ ſacra ad-  
miniſtrarent, forma, & omnia ordine & decenter fierent.  
Quid ergo mirum, ſi etiam in baptiſmò ritum  
mergendi, quem non expreſſit Servator, arbitrari-  
ſuo uſurpârunt, præeunte tamen Johanne Baptiſta, qui nec  
ipſe ejus mandatum ullum acceperat? Altera à myſticâ ſi-  
gnificatione illius ritûs ducta ratio incertâ hypotheſi niti-  
tur, quaſi ideò S. Paulus baptiſmum morti ac ſepulturæ  
Chriſti comparaverit, quòd immerſione fiat: cùm neque  
D. 2 expreſ-

expressis verbis id ab ipso tradatur, & alia similitudinis ratio in contextu subinduceatur: nimirum quòd baptismus sit mors peccati & sepultura veteris hominis; præciso ad certum abluendi modum respectu. Fac autem, dictam analogiam & similitudinem mortis Christi in ipsâ ablutione fundatam esse; non abs re Thomas Aquinas, Vazquez & alij censent, eandem etiam in asperzione vel perfusione aliquo modo reperiri; licet non adeò plenè & expressè; attamen secundum quid, & ea saltem corporis parte, quæ aquâ aspergitur vel perfunditur. Fac imò, S. Paulum baptismum cum morte Christi comparando præcisè ad mersionem respexisse; haudquaquam tamen inde conficitur, mersionem juris divini esse, adeoque ad substantiam sacramenti pertinere. Neque enim repugnat, Apostolum ritui humanâ auctoritate introducto mysticam significationem imposuisse, revelante & ita volente Deo, non ut perpetuò vigeret ritus, sed ut quamdiu vigeret, imago mortis Christi esset. Nec est res sine exemplo. Quinimo constat, aliquem ab ipso Servatore mysticâ significatione usurpatum ritum defuisse, quòd non mandatus à Deo esse, sed unâ cum aliis *audia Corporis* & arbitrariis rebus Christianæ libertati subjacere putaretur. Exemplo vel una fractio panis in Eucharistia fuerit, quæ in verbis institutionis memorata, & ab ipso Christo sub mystica significatione instantis passionis usurpata, tandem in desuetudinem apud nos & Pontificios venit, certè perpetuò servanda, si juris divini esset.

XXVII. Accedit, quòd necessitate sæpe ineluctabili mersio, sed non æquè asperio excluditur. Necessitatis hujus quatuor causas Thomas Aquinas (a) recenset: primùm *III, qu.* si ingens sit baptizandorum numerus: deinde si parum sit *LXVI.* aquæ; adde, si fons vel alius locus, in quo aqua colligitur, *art. VII.* aut vas, in quod aqua infunditur, mersioni non sint apta:

tum

rum si is qui baptizatur ægrotet, ut non possit sustinere mer-  
 sionem; denique si minister ad mergendum viribus non us-  
 que adeò valeat. Credibile est, has ob causas etiam Apo-  
 stolos & Apostolicos viros ipsorumque successores mer-  
 sione quandoque exclusos aspergendo baptizasse. Et sanè  
 quod de multitudine baptizandorum dictum est, ejus exem-  
 plum in actis habemus. Unâ die *ter mille*, prædicante e-  
 vangelium Petro Apostolo, *conversos ac baptizatos esse*  
 Lucas ibi commemorat. Mergendis autem singulatim tot  
 hominibus vix unam diem suffecisse, Thomæ Aquinatis,  
 Vazquezij & plurium sententia est. Quanquam alii hîc  
 dissentiant. Josephus ViceComes (a), prout à Joanne Lu-  
 dovico de La Cerda in notis super Tertullianum citatur,  
 nihil causâ dici posse existimat, quin una dies æstiva, quâ  
 Petrus baptizabat, trium millium merfioni suffecerit; ne-  
 que facilius credit ter perfundi aquâ, quàm ter mergi sin-  
 gulos potuisse. Respondet autem præfatus Lacerda (b),  
 non totam diem insumtam baptismo, sed sub meridiem  
 demum baptizandi initium factum fuisse. Nec improba-  
 bilis hæc ejus conjectura est. Inspicienti enim locum in a-  
 ctis apparet, aliquàm multa eâ die ante baptismum acta  
 fuisse, ut facile in ijs antemeridianum tempus contritum de-  
 currerit. Neque deest ratio, quare facilius fuerit, dimidiâ  
 die aspergi vel perfundi tot homines, quàm mergi. Unâ  
 enim perfusione plures simul tingi, sed non nisi singuli se-  
 orsum singulis merfionibus baptizari poterant. Quanquam  
 rectè Vazquez rejicit illorum sententiam, qui *per aspersio-*  
*nem omnes simul baptizatos fuisse* contendebant. Nam, in-  
 quit, *cùm omnes illi qui aderant, vestiti essent, verosimile*  
*non est, ita confuse ac promiscuè fuisse aquâ asperfos in turba*  
*ipsâ: sic enim multi aspergerentur solum supra vestes, quo non*  
*sufficeret.* Hæremus autem, an in eo Vazquez nostrum

*Act. 11,*  
*41.*

(a) *lib.*  
*IV. cap.*  
*VI.*

(b) *in*  
*Tertull.*  
*de bapt.*  
*cap. 11.*

*disput.*  
*CXLV,*  
*cap. II.*  
*n. 15.*  
*& cap.*  
*IV. n. 29.*

meretur calculum, quod per effusionem seu per aspersionem  
singulatim unumquemque esse baptizatum ait. Tutius forte  
fuerit, mediâ viâ incedere, & neque omnes simul, quia id  
fieri vix poterat, neque singulos seorsum, quia longum fu-  
isset, sed hic partem, illic partem totidem aspersionibus  
baptizatos existimare. Cur autem ter iteraretur, aspersione,  
nulla erat causa. Quin imò ne unquâ quidem Apostolos sic  
baptizasse legimus. Et quid multa? si vel maximè non fa-  
cilius fuisset, dimidiâ die tot homines perfundi aquâ, quàm  
mergi? magis tamen illud commodum & ex decore erat.  
Mergendos enim exii vestibus & nudari oportuisset, tam  
mulieres quàm viros, in conspectu omnium. Hoc verò  
quàm onerosum, quàm à verecundiâ fuisset alienum?

XXIIIX. Deinde quòd aliquando etiam inopia aquæ,  
aut baptisterij vel vasis ad mergendum apti defectus necessi-  
tatem aspergendi vel perfundendi imperaverit, do-  
cet pervagatissimum exemplum militis cujusdam à S.  
Laurentio aspersione baptizati, cum ipse miles urceo hau-  
stam aquam, quâ aspergeretur, sancto viro jam martyrium  
subituro attulisset. Sic habet antiqua historia de martyrio  
B. Laurentii. Meminit etiam hujus exempli Walafrius  
*de reb.* Strabo, ubi non solum mergendo, sed etiam de super funden-  
*Eccles.* do, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse baptizari asseve-  
*s. xxvi.* rat. Sicut in passione, inquit, B. Laurentij queadam urceo  
allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire, cum pro-  
vectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem  
tingi non patitur. Sed & illud indubitatum est, tam apud  
Græcos quàm Latinos usu venisse, ut lethaliter decumben-  
tes in lecto, cui affixi erat, aspersione baptizarentur, quòd  
nec sustinere merisionem possent, & tamen sine baptismo  
dimittendi ex vitâ non essent. Hinc Magnus super ægrotis  
ita baptizatis quæstionem movet Cypriano, an qui in infr-  
mitate



mitate & languore gratiam Dei consequuntur, habendi sint  
legitimi Christiani, eò quòd aqua salutaris non loti sint, sed  
perfusi. Respondet S. Cyprianus, perfusione non minùs, epist.  
quàm lotionis, (sic merfionem vocat) verum administrari LXXVII.  
baptismum, ac legitimos Christianos renunciari. Neque  
enim, ait, sic in sacramento saluari delictorum contagia, ut  
in lavacro carnali & seculari sordēs cutis & corporis abluun-  
tur, ut a phronitris, & ceteris quodque adiumentis, & solio &  
piscinā opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit.  
Alio pectus credentis abluatur, aliter mens hominis per fidei  
meritum mundatur. In sacramentis salutaribus necessitate cog-  
ente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum creden-  
tibus conferunt divina compendia. Nec quenuquam movere  
debet, quòd ASPERGI vel PERFUNDI videntur agri,  
cum gratiam Dominicam consequuntur, quando scriptura san-  
ctā per Ezechielem Prophetam loquatur & dicat: Et asper-  
gam super vos aquam mundam &c. Et citatis jam aliquot  
Scriptura dictis concludit: Unde apparet, ASPERSIO-  
NEM quoque aque instar salutaris lavacri obtinere. Alias  
Clinici dicebantur, qui sic erant baptizati, non Christiani.  
Quod ibidem improbens Cyprianus; non invenio, inquit,  
unde hoc nomen assumant, nisi forte qui plura & secretiora le-  
gerunt apud Hippocratem vel Soranum, & viderunt illos depre-  
henderunt. Christianos autem esse ut tueatur, hoc ponit  
principium; Christianus indicetur legitimus, quisquis fue-  
rit in Ecclesiā lege & iure fidei divinam gratiam consecutus.  
Jam de Clinicis sic disserit: Aut si aliquis existimat eos nihil  
consecutos, eò quòd aqua salutaris tantum PERFUSI sint,  
sed inanes & vacui sunt; non decipiantur, ut si incommodum  
languoris evaserint & corvaluerint, baptizentur. Si autem  
baptizari non possunt, qui iam baptismo Ecclesiastico sanctifi-  
cati sunt, cur in fide sua & Domini indulgentiā scandalizem-  
tur?

*tur? An consecuti quidem sunt gratiam dominicam, sed bre-  
 viore & minore mensurâ maneris divini ac Spiritus Sancti, ut  
 habeantur quidem Christiani, non sint tamen ceteris adquan-  
 di? Quinimò Spiritus S. non de mensurâ datur, sed super cre-  
 dentem totus infunditur. Ita disertè docet, Clinicos etiam  
 asperisionis baptismo gratiam consecutos, ac proinde verè  
 Christianos factos, nec si convaluerint, denuò baptizandos  
 in IV. esse: ut ita absurdus admodum sit Sotus, cum Cyprianum  
 dist. III. in illâ epistolâ non de aquâ baptismi, sed de asperisione a-  
 qu. un. quæ benedictæ super ægrotos loqui arbitratur, quod rectè  
 art. VII. monet Gabriel Vazquetz.*

XXIX. Baptismi in ægritudine per asperisionem col-  
 lati exemplum in Novato habemus, uti ex Cornelli ad Fa-  
 (a) Apud bium Antiochenum epistolâ (a) constat. Censet Pamme-  
*Euseb. l. lius (b), inde primùm Magnum arripuisse occasionem quæ-  
 VI. c. 43. rendi ex Cypriano, num asperio aqua esset verus bap-  
 (b) an- sismus. Quanquam levibus conjecturis ducitur, quas rectè  
 not. in Vazquez (c) refellit, causatus, alios quoque ante Nova-  
 Cypr. ep. tum in infirmitate & morbo per asperisionem baptizatos  
 76. esse, ut ita nulla sit ratio, quare à Novato magis quàm ab  
 (c) cit. aliis origo vel occasio dictæ quæstionis accersatur. Ita qui-  
 disput. dem Cornelius apud Eusebium (d) de baptismo Novati lo-  
 cxlv. quitur, ut dubitare videatur, an verè & legitime sit bap-  
 taf. II. zatus; In lecto, inquit, in quo decumbebat, aquâ circumfu-  
 (d) l. cit. sus, baptismum accepit: si modo talem hominem baptismum  
 (e) libr. accepisse dicendum sit. Eadem exscripsit Nicephorus (e) ad  
 vi. taf. dita hâc dubitandi formulâ: Si quidem tinctionem huius-  
 III. modi baptismum vicare licet. Non possum autem non me-  
 (f) l. cit. minisse, quomodo verba exponat Gabriel Vazquetz (f).  
 Non aubitavit Cornelius, ait, de illo genere baptismi, quod  
 per tinctionem vel asperisionem ægris concedebatur, utrum ve-  
 rum esset baptismus, an non, sed utrum in Novato illo pestimo  
 homine*

homine veram baptismi & Sacramenti rationem habuerit, nec ne; propter defectum intentionis nimirum necessaria, quam in illo pravo homine defuisse, jure quidem dubitari poterat: ad hoc enim verba Cornelii alludere videntur: nam pravitas recipientis non aliâ ratione veritati Sacramenti obesse potest, nisi defectu necessaria intentionis. ——— Sic igitur Nicephorus referens eandem historiam ex eodem Cornelio Papa, de illo baptismo, quem vocavit tinctionem, dubitasse dicendus est, non quia esset tinctio, non submersio; sed quia tam pravo homini datus esset, ut de illius intentione necessaria dubitare liceret.

XXX. Summa dictorum est: ordinariè olim quidem baptismum mergendo, at si mergioni ob inevitabilem necessitatem non esset locus, extra ordinem etiam aspergendo collatum esse. Nec ferius extraordinaria illa aspergio inventa est, sed jam tum Tertulliani tempore obtinuit, ut qui, coniectante Pamelio, ad illam alludit, his verbis: *l. de pœnit. cap. vi.*  
*Quis enim tibi tam insida pœnitentiæ viro ASPERGINEM unam cujuslibet aqua commodabit? Inde ad Cypriani tempora, & ab his ad sequioris ævi Latinam Ecclesiam aspergionis extraordinariæ baptismum propagatum esse, ex dictis liquido constat. Nec Græci ab hoc ritu, sicubi cogeret necessitas, alieni fuerunt. Suo tempore aspergendo etiam collatum fuisse baptismum, testatur S. Athanasius, cum de Arianis verba faciens ait: Non rectè sentientes, ut dictum *Orat. 118* est, neque sanam fidem retinentes (scilicet de mysterio Trinitatis) inutilem possident aquam, quam impertiunt, nimirum *Arian. p. 413. lit. D.*  
*numine & religione destitutam: adeo ut qui ab illis ASPERGANTVR, sordescant potius prava religione, quam redimantur.* Verba, inquires, non probantis, sed castigantis sunt. Benè: non autem ideò castigat sanctus vir Arianos, quòd aspergendo baptizarent; quin potius hunc baptizandi modum*

E

dum

dum quasi legitimum atque irreprehensum supponit: sed quòd cum Patrem & Filium consubstantialem non profiterentur, nihilominus in nomine Patris & Filii suos baptizarent atque aspergerent. *Non enim, inquit, in Patre & Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in creatore & creaturâ, in factore & facturâ. Sicut igitur creatura diversum quiddam est à filio: ità diversum quiddam à vero baptismo est, quòd ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris & Filii, quia illa in scripturis vident, simulant se se nominare: Non enim, qui simpliciter ait, DOMINE, is est, qui donat legitimum baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet. Ex quibus liquidò constat, non ob asperisionem, sed ob defectum rectæ fidei, reprehensum à S. Athanasio Arianorum baptisma fuisse. Ordinariè autem Arianos aspergendo baptizasse, non facillè dixerim, licèt subinnuere Athanasius videatur. Verosimilius est, imitatos hac in re esse Catholicos, qui non à mersione abibant, nisi flagitaret necessitas.*

XXXI. Et si autem ille mergendi mos in oriente, ceu supra meminimus, jam indè à primis temporibus ad nostram ætatem, quòd ordinarium baptizandi modum attinet, perpetuatur: in Occidente tamen per plerasque regiones & provincias dudum exolevit. Nempè ipsa quinque retro secula sunt, & amplius, cum Latina Ecclesia à suâ & Græcorum veteri praxi paulatim abire, & pro mersione asperisionem, non tantùm urgente necessitate, sed ordinariè etiam cœpit substituere. Causam si quærās, non unam scriptores reddunt. Gabriel Vazquez censet, *capisse hanc consuetudinem ob TENERITVDINEM INFANTIVM, cum jam rarissimus esset adultorum baptismus, qui multò melius mersionem ferre poterant. Neque de nihilo est hæc ratio. Non certè probabile est, Christum ità instituisse baptismum, ut cum periculo valetudinis sit conjunctum.* Unde Clinici,

*disp:*

*CXLV. C.*

*22.*

*foetudinem ob TENERITVDINEM INFANTIVM, cum jam rarissimus esset adultorum baptismus, qui multò melius mersionem ferre poterant. Neque de nihilo est hæc ratio. Non certè probabile est, Christum ità instituisse baptismum, ut cum periculo valetudinis sit conjunctum. Unde Clinici,*

ei, ut extra periculum collocarentur, tantum aspersi vel per-  
fusi aqua, non mersi olim fuerunt. At non minus in fan-  
tes atque illi versarentur in discrimine, si nudi mergerentur  
aquis, praesertim in tractu hoc Septentrionali, ubi frigidius  
plerumque coelum est. Quando itaque post conversas u-  
bique locorum gentes, infantium quam adultorum fre-  
quentior esse baptismus coepit, illorum praecipue habenda  
fuit ratio, adeoque recte & ordine fecit Ecclesia, quod suc-  
cessu temporis perfusionem sive asperionem invexit, cum  
renellae infantium aetati minus incommoda videretur.  
Neque ex parte etiam provectoris aetatis hominum, sal-  
tem mulierum, causa defuit, cur aspergi quam mergi praer-  
staret, videlicet ut pudori & verecundiae earum consulere-  
tur. Bene scribit Gerardus Joannes Vossius: *Nempe an-*  
*tiquis temporibus, quibus candida simplicitas magis vigebat, de bap-*  
*honeste denudabantur toti: sed postquam uti aliorum, ita sa-*  
*cerdotum accrevit nequitia, experientia id toti orbi clare te-*  
*stante, honeste amplius id fieri non potuit: & hac propter a-*  
*quinque retro seculis, paulatim per universum pene occiden-*  
*tem consuetudo illa exolevit.* Non autem audiendi sunt, qui  
mersionem inter alia ideò dissuadent & abolitam opinan-  
tur, quòd in infantibus parendi necessitati naturae, & macu-  
landi aquam Baptismalem possit esse occasio. Negari ne-  
quit, tale quiddam in baptismo aliquando accidisse, sicut  
Constantinus Copronymus, cum infans à S. Germano  
Patriarcha baptizaretur, stercus in aquam elisit, unde co-  
gnomen ipsius & impietatis haud vanum omen ductum est.  
Rarius autem fortè, neque tanti hoc incommodum mo-  
menti est, ut propterea abolenda fuerit mersio, nisi alia jam  
tacta causae necessitatem quasi imperassent.

XXXII. Neque terna mersionis repetitio magis ad  
substantiam baptismi, quam ipsa mersio pertinet. Certum

E 2

quippe

quippe est, illam verbis institutionis ne implicitè quidem, aut virtute solidæ consequentiæ, nedum discretè à servatore mandatam esse. Neque alio scripturæ loco eam juberi, vel commendari, vel memorari; neq; Apostolos ter mergisse usquam legimus. Neque denique id præcepto Dominico cautum est, ut vel triduanum mortis ac sepulturæ Christi tempus, vel S. S. Trinitatis, vel aliud mysterium iteratâ ablutio figuretur. Relinquitur ergo, potestate merè humanâ & Ecclesiasticâ investam ter mergendi consuetudinem fuisse. Unde non nisi ex traditione constare discretè ait

(a) *de con. mil. respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Què cap. III. imitatus Hieronymus (b) eandem in sententiam scribit: (b) Dial. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpârunt, velut in lava- Lucifer. cro TER MERGITARE. Et Basilium M. (c) inquit: τὸ δὲ τῆς βα- (c) *de spi- πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, πῶθεν; ἢ ἐν τῆς δόμοις τῶν τῶν ἡμε- rit. S. c. ἀπογεῖται διδασκαλίας. Iam TER IMMERGI hominem, unde XXVII. haustum? — nonne ex minimè publicatâ & arcanâ hac tra- ditione?**

XXXIII. Censet tamen CL. Vossius, Veterum non paucos ter immergendi morem pro Dominico habuisse præcepto. Idque probat tribus potissimum testimoniis. Primum adducit ex canonibus Apostolicis sublestå fide ita dictis, sed tamen antiquissimis, Canonem XLIX, qui ita habet: Si quis episcopus aut presbyter in unâ initiatione non tres immersiones, sed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitur. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate; sed profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Deinde citat ex homil. pauca hæc Chrysostomi (d) verba: Omnibus mysteriis veluti de side. jugnum imponens Dominus, in tribus immersionibus aquæ unum baptif.

*baptisma discipulis suis tradidit, dicens: euntes docete &c.*  
 Præterea ex epistolâ Pelagii Papæ (e) ad Gaudentiū hæc, quæ (c) Apud  
 manifestiora eam in sententiam esse videntur, subjungit: *Idem de-*  
*Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi, unâ etiam im-*  
*mersione, se asserunt baptizare. Evangelicum verò præce-*  
*ptum, ipso Domino ac salvatore nostro Jesu Christo tradente, Gratian*  
*nos admonet, in nomine Trinitatis trinâ etiam immersione san-*  
*Etum baptisma unicuique tribuere. Quibus in eumulum*  
*accedit testimoniū Theodoretī (f) de Eunomio Aetii disci-*  
*pulo ac sectatore ita scribentis: Idem sancti etiam baptis-*  
*mat̄is legem olim à Domino & Apostolis traditam evertit, &*  
*contrariam apertè sanxit, non oportere dicens ter illum im-*  
*mergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel*  
*baptizare in Christi mortem, Quin & patres synodi Constan-*  
*tinopolitanæ primæ, damnato Eunomio magistro, sanxe-*  
*runt, (g) Eunomianos, qui in unam demersionem baptizantur,*  
*rectæ fidei adscribi volentes, denuò baptizari.*

XXXIV. Verum enim verò etsi in his locis ter mer-  
 gendi necessitas, & primore auditu major, quam aliâs eo-  
 rum rituum est, qui humanâ auctoritate introducti sunt, in-  
 culcatur: ne utiquam tamen vel disertè vel implicitè jure  
 & præcepto firmata Dominico asseritur. Quod singula  
 propius inspicienti liquet. Quanquam non unam inter-  
 pretationem admittunt. Et primum quidem valdè ambi-  
 guus est canon ille Apostolicus: *Gabriel Vazquez illum*  
*censet latum contra eos, qui invocat à solum Domini morte, &*  
*una immersione tantum baptizabant: ibi tamen non dicit, usum*  
*illum de una immersione, sed de invocatione mortis Domini pro*  
*formâ baptisimi contra divinum præceptum seu traditionem*  
*esse. Idque probat ex sequentibus, quibus ratio canonis tra-*  
*ditur, verbis, in quæ ita commentatur: Vbi divinum præ-*  
*ceptum solum inquit fuisse de invocatione Trinitatis, non au-*

(c) Apud  
 Iwon. de-  
 cret. cap.  
 XVI. &  
 Gratian  
 de con-  
 secr. disp.  
 IV.  
 (E) haret.  
 fab. libr.  
 IV. c. III.  
 (g) tom.  
 III Concil.  
 noviss.  
 Paris. e.  
 cit. can.  
 VII. p.  
 360.  
 disp.  
 CXLV.  
 cap. 1. n.  
 7.



tem de trinâ merfione, licet illi, qui ibi damnantur, perperam  
etiam omitterent trinam merfionem contra traditionem Ec-  
cleſiaſtica, atque (ut opinor) cauſâ etiam introducendâ præ-  
dictum errorem. Cui ferè conſentit Gloſſarum Gratiani  
auctor, ſemel mergentes ratus non in nomine S. Trinita-  
tis, ſed ſub hac formâ, *Baptizo te in mortem Domini*, tinxiffe,  
atque adeo ob immutatam à Domino præſcriptam for-  
mulam præcipuè deponi eſſe juſſos. At enim hunc falli  
autumans Voſſius ſcribit: *Hoc ſolum Canon iſte vult, exin-  
de quod Apoſtolus dicat, baptizari nos in mortem Chriſti, quæ  
unica eſt, immerſionis numerum peti non debere, ſed potius ex  
formulâ baptiſmi, quâ tres Deitatis perſonæ exprimuntur.*  
Et ita canonem Græcos interpretes, Zonaram & Baſamo-  
nem accepiſſe monet. Quicquid autem tandem ſit de ſen-  
tentiâ canonis, certum eſt, eo trinam merfionem à Domi-  
no præceptam non laudari. Neque enim ſequitur: *Deponi  
jubetur epifcopus vel præbyter, qui non ter merſerit: Ergo  
trina merſio à Deo mandata exiſtimatur.* Nonne enim in e-  
um etiam epifcopum conſtitui poteſt & conſtituta aliquan-  
do fuit de poſitionis pœna, qui temerè contra traditionem  
Eccleſiaſtica egerit? At ratio, inquires, adhibendæ trinæ  
merfionis à præcepto Dominico accerſitur. Ita eſt: Sed ne-  
que inde ſequitur, à Domino præceptam illam exiſtimari,  
& re ipſa protinus reclamare. Certum eſt, mandatum trinæ  
merfionis diſertè in verbis inſtitutionis non contineri.  
Niſi verbum *βαπτίζω*, quo ſervator utitur, ad ſingula S.  
Trinitatis nomina ſaltem mente repeti & ſubintelligi oportere  
censeas, perinde ac ſi eſſet dictum: *Et baptizantes eos  
in nomine Patris, & baptizantes iterum in nomine Filii, &  
baptizantes denique in nomine Spiritus Sancti.* At verbo  
illo totum & unum baptiſma denotari & inſtitui, veterum  
omnium conſtans fuit ſententia. Quod ſi ergo quaſi ter  
poſi-



positum, & ad singula Trinitatis nomina repetitum acciperetur, jam non tres actus unius baptismatis, sed tria baptismata significaret: quod oppidè quàm absurdum. Neque solidam videmus ullam consequentiam, quâ ex præcepto Dominico mandaram quoq; esse trinam mersionem rectè colligatur. An quia baptizare nos iussit servator in nomine *trium* Deitatis personarum, *ter* mergere iussit? Quis sic inferentem ferret? Quin potius alium adducti præcepti Dominici scopum esse, antecedentia rimanti non erit impervium. Deponi iubetur episcopus vel presbyter, qui semel merferit, non ob simplicam mersionem præcisè, sed *ob unam dumtaxat, quæ in mortem Domini detur.* Aut ergo improbatur simpla mersio, prout facta sub hac formâ, *baptizo te in mortem Domini*, omissa SS. Trinitatis invocatione, quod citati auctores censent: aut prout, retentâ quantumvis SS. Trinitatis invocatione, nihilominus idèò trinæ mersioni præfertur, quòd dicat Apostolus, *baptizare nos in mortem Christi*, quæ sit una. Si prius: rectè laudatis Auctõribus placuit, adductum esse præceptum Dominicum ad improbandam non tam simplicam mersionem, quàm conjunctam formulam, cujus illa est tessera. Unde hæc statim improbationis additur ratio: *Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate.* Sin posteriùs: probabile est, præceptum Dominicum allegari ad subindicandam non tam divinam auctoritatem trinæ mersionis, quàm ejus convenientiam præ mersione simpla. Perinde, quasi ita concepta sit quæ canonically subnectitur *αιτιολογια*: Si Dominus dixisset, *in mortem meam baptizate*, non absre simpla mersio trinæ præferretur, quoniam mors Domini est una: Nunc verò cum in nomine SS. Trinitatis baptizare Dominus iussit, magis convenit trina mersio, quàm simpla, ut quæ verbis invocatur Trinitas, etiam conspicuo ter mergendi actu honoretur.

Rom. vi.

3.



tur ac distinguatur. Qua de causa & perpetuâ traditione Ecclesie ille ritus constat. Atque ita ex præcepto Domini-  
co non probatur, trinam immersionem esse præcepti Domi-  
nici, sed in invocationi ac venerationi SS. Trinitatis, qua inibi  
mandata est, magis quàm in simplicam immersionem convenire.

XXXV. Major est dubitatio de verbis & sententiâ  
Pelagii Papæ, annon ille trinam immersionem à Domino  
mandatam putarit, cum disertè dicat, *præceptum Evangelii-  
um nos illius non minus quam invocandæ SS. Trinitatis*  
*Part. III admonere. Circûspicienti faniorem interpretationem Tho-*  
*quest.* *ma nihil quod reponeret occurrit nisi hoc: Dicendum*  
*LXVI, quod Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse de*  
*art. VIII. mandato Christi in suo similis in hoc scilicet, quòd Christus præ-*  
*cipit baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti:*  
*non tamen est similis ratio de forma & de usu materia. Sed*  
*rectè instat Vazquez, Pontificem apertè de trinâ immersione*  
*materiâli, quæ videlicet fit in ipsâ aquâ & quam ab invocatio-*  
*ne Trinitatis distinguit, loqui. Eoque aliter jam, sed ambi-*  
*go an rectius, locum interpretans subjicit: Quare respon-*  
*deo, licet trinam immersionem & invocationem trium personâ-*  
*rum sub eodem præcepto Pontifex complecti videatur, quasi*  
*præceptum utriusque à Domino fuerit traditum, tamen ex*  
*verbis sequentibus, quibus explicat ipsum divinum præceptum*  
*apertè colligi, illud præceptum solum de invocatione Trinita-*  
*tis traditum fuisse, & ita à Pontifice hic fuisse intellectum.*  
*At enim hoc ipsum est in quaestione, annon in eo præcepto,*  
*quod disertè de invocandâ SS. Trinitate est traditum, Pe-*  
*lagius mandatam trinæ immersionis aliquo modo includi*  
*existimârit. Certè hanc opinionem verbis antecedenti-*  
*bus haud obscurè videtur præ se ferre, cum præceptum*  
*evangelicum nos admonere ait, in nomine Trinitatis, trinâ et-*  
*iam immersione baptismi tribuere. Neque incidit difficulta-*  
*tem*

tem Vazquez, illud *trinā etiam mersionē* idē additum esse  
ratus, quia *trina mersio traditione Ecclesiæ ex parte materiae in  
usu erat*. Id enim ipsū obscurum atque explicatu difficile  
est, quomodo *Evangelicum præceptum nos admonere* ejus  
possit, quod traditione Ecclesiæ constat. Nobis non abs-  
te Papa verbo *admonendi* videtur esse usus, quod mul-  
tū latius patet, quam *jubere vel præcipere*. Potest fanē præceptum  
Dominicum vel evangelicum nos alicujus admonere, quod  
non jubet vel præcipit, cum interim quod jubet vel præcipit,  
illud unum præcepti sit Dominici, utpote cui à præcipiendo  
nomen est impositum. Vult ergo hoc dicere Pelāgius; Et si  
præceptum evangelicum trinam mersionem non jubet vel  
præcipit, jubendo tamen ac præcipiendo invocationem SS.  
Trinitatis, etiam illius ritus nos quodammodo admonet,  
in quantum scilicet convenientior est trina quàm simpla  
mersio, ut, sicut verbis invocatur Trinitas, ita trinā mersione  
honoretur. Neque traditionis Ecclesiasticæ alia quàm qua-  
lisunque convenientiæ reddi ratio potest.

XXXVI. Minimè autem omnium ex reliquis locis  
id quod in quæstione est, probatur. Neque enim ex eo,  
quod ait Chrysostrōmus, *Dominum in tribus mersionibus a-  
qua unum baptisma tradidisse*, ullā vel consequentiā vel  
præsumptione colligitur ipsas tres mersiones à Domino  
mandatas S. virum existimāsse. Et cum de Eunomio scribit  
Theodoretus: *Sancti etiam baptismatis legem olim à Do-  
mino & Apostolis traditam evertit*, puta quod nec *ter im-  
mergere*, nec *invocare Trinitatem oportere* docuit: Verba  
antecedentiā non conjunctim de utroque accipienda sunt,  
quasi & trina mersio & invocatio Trinitatis sit à Domino si-  
mul & Apostolis tradita quedam lex, sed ita dividenda, ut lege  
à Domino tradita invocatio Trinitatis, traditione Apostoli-  
cā trina mersio designetur. Quapropter quod porro apud

F

Theo-



Theodoretum commemoratur, hæreticam contrariam legem sanxisse; id etiam divisim, & ita accipiendum est, ut legi Dominica contravenisse censeatur, quòd non in nomine Trinitatis, sed in mortem Christi baptizare; *traditionem Apostolicam*, quòd non ter, sed semel mergere juberet. Quomodo verba etiam exponit Vazquez loco citato. Proinde si Eunomius ille in concilio Constantinopolitano primo inter alia etiam propter errorem, quem de baptismo fovit, damnatus est; non probatione & usu simplæ mersionis, sed formulæ cum primis, quam Dominus præscripsit, mutatione censuram tam severam meruit. Neque canone ejus concilii septimo Eunomiani, si redeant ad ecclesiam, idcò jubentur baptizari denuò, quòd semel, sed quòd non in nomine SS. Trinitatis demersi essent.

XXXVII. Quanquam autem ex his liquet, non alio loco habendam esse trinam mersionem, neque alio veteres habuisse, quàm quo omnia, quæ auctoritate humanâ sunt introducta: non tamen Latinæ Ecclesiæ placuit, ut quemadmodum pro mersione successu temporis substituta fuit aspersio vel perfusio, ita etiam à consuetudine ter repetendi hunc actum recederetur. Asperisionem enim cur præferret mersioni, contra veterem omnium & hodiernam Græcorum consuetudinem, causam non unam vidimus fuisse. At cur simplâ potius quàm ternâ asperisione uteretur, causam non æquè habuit. Constat quidem, in Hispaniâ sub annum Christi hoc simplæ mersionis usum fuisse, idque eò maximè, quò longiùs ab Arianis trinâ mersione *τετραπλάσιον* Deitatem designare solitis abiretur. Quod quantumvis contra consuetudinem Romanæ Ecclesiæ fieret, probavit tamen Gregorius M. Papa in epistolâ ad Leandrum Hispalensem episcopum scriptâ, his quidem verbis: *Sed quia nunc ab hæreticis (scil. Arianis) infans in baptismo*  
ter

ter mergebatur: sciendum apud vos esse non censeo: ne dum  
merfiones numerant, divinitatem dividant, dumq; quod  
faciebant, faciunt, se morem vestrum vicisse glorientur.  
Aliàs extra casum & necessitatem ab Arianorum partibus  
quàm longissimè abscedendi nihil referre decernit, ter an  
semel eos qui baptizantur immergas. *Quia dum in tribus*  
*personis, ait, una substantia est, reprehensibile esse nullatenus*  
*potest, infantem in baptisate vel ter vel semel immergere,*  
*quando & in tribus merfionibus personarum Trinitas, & in*  
*una potest Divinitatis singularitas designari.* Non autem  
omnes Hispanos morem semel mergendi servasse, sed  
quosdam ter mergentes ab aliis ad schismatis usque peri-  
culum secessisse, docent Patres Concilii Toletani quarti,  
Capitulo sexto, quod ita ordiuntur: *De baptisati autem sa-* *tom. XIV*  
*cramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam,* *conc. II.*  
*quidam simplam merfionem faciunt, à nonnullis schisma esse* *Par. edit.*  
*conspicitur, & unitas fidei scindi videtur.* Et mox allegatis *p. 486.*  
probatisque Gregorii M. verbis, quæ modò commemora-  
vimus, decernunt: *Propter vitandum autem schismatis scan-*  
*dalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptis-*  
*mi merfionem; ne videantur apud nos qui tertio mergunt, hæ-*  
*reticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.*  
Et simplæ merfionis mysterio *Unitatem Divinitatis desi-*  
*gnari,* perinde cum Gregorio judicant. Verùm neque Gre-  
gorii, neque qui hunc sequuntur, Patrum Toletanorum  
sententia, rectè hîc animadvertente Vossio, placet, in quan-  
tum Hispanis idèò à trinà merfione abstinendum esse cen-  
suerunt, quod Ariani eâ uterentur, vel abuterentur. Scitè  
quippe & egregiè hîc differit *Walafridus Strabo: Si enim de reb.*  
*omnia deserimus, quæ hæretici in suam perverfitatem traxe-*  
*runt, nihil nobis restabit, cum illi in ipso Deo errantes, omnia c.* *XXVI.*  
*quæ ad ejus cultum pertinere visa sunt, suis erroribus quasi pro-*  
*pria*

*pria applicarint.* Nisi itaque alia omittendæ trinx merfio-  
causa dari poterat, hæc certè non erat sufficiens, nedum  
cogens, quod Ariani eâ pestilentissimum suum de Trinitate  
errorem designabant.

XXXVIII. Denique de mudatione corporis quid senti-  
endum sit, conjectu jam facile est. Non magis illa man-  
data à Domino, quàm merfio est; at necessaria ob merfio-  
nem erat, hacque adeo abolitâ, neque illâ amplius est o-  
pus. Nisi tam totum corpus aspergendum aquâ putes,  
quàm totum merfium fuit. Quod tam Theologi nostri  
quàm apud Pontificios DD. Scholastici meritò unanimi  
consensu negant. Neque enim ex verbis institutionis ap-  
paret, sic baptizandum esse quemvis, ut secundum totum  
corpus abluatur. Neque ad scopum & efficaciam baptis-  
matis quicquam fecerit, totius corporis absterfas esse sor-  
des carnales, cum hoc sacramentum ad abluendam & à  
peccatis repurgandam animam sit comparatum. Quod  
autem præcipuè membrum, nisi totum corpus, aspergen-  
dum aquâ vel perfundendum sit, minùs inter se consenti-  
unt Scholastici. Princeps horum Thomas præcisè caput,  
veluti principalem corporis partem, dictæ asperfusionis sive  
perfusionis subjectum constituit, cuius ea de re ita habent

*part. III.* verba: *Principalis pars corporis, præcipuè quantum ad inte-*  
*qu. LXVI* *riora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus & interio-*  
*art. VII.* *res & exteriores. Et ideò si totum corpus aquâ non possit per-*  
*fundi propter aqua paucitatem, vel propter aliquam aliam*  
*causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur princi-*  
*pium animalis vitæ. Et licet per membra, que generationi*  
*deserviunt, peccatum originale traducatur, non tamen sunt*  
*membra illa potius aspergenda, quam caput: quia per baptis-*  
*imum non tollitur transmissio Originalis in prolem per actum*  
*generationis, sed liberatur anima à macula & reatu peccati,*  
*quod*

quod incurrit. Et ideo debet præcipuè lavari illa pars corporis,  
in qua manifestantur opera animæ. Sed enim caput potius,  
quàm aliud membrum aspergendum esse, vix est, ut nobis  
ejuscemodi argumento persuadeat Thomas, quòd in capite  
manifestatur principium animalis vitæ, id est, animæ. Neque  
enim servator tingi vel ablui corpus jussit, quatenus sic  
vel aliter in ipso anima operatur, sed præisè quâ corpus est.  
Et quanquam corporalis ablutionis effectus est spiritalis  
animæ ablutio; non tamen propterea necessum est, ut ea  
corporis pars abluatur, in qua principaliter anima se exse-  
rit: cum corporalis ablutio ad spiritualem illum effectum  
non inde, quòd illiusmodi sit partis vel membri, sed ex ver-  
bi sanctificantis virtute valeat. Quanquam nec Thomas  
absolutè necessariam capitis asperisionem duxit, sed in casu  
necessitatis, & sic ubi caput commodè tingi vel aspergi non  
posset, alius partis vel membri tinctionem non negavit suf-  
ficere. Alii certâ ratione negant definiti posse, quam cor-  
poris partem & usque quo aquâ aspergi oporteat: nisi quòd  
id certam arbitrantur, eo usque saltem fieri asperisionem  
oportere, ut inde is qui baptizatur, simpliciter ablutus dici  
possit. Ex quo concludunt, minimæ partis v.g. digiti asper-  
sionem præsertim modicam non esse verum baptismum,  
cum inde nemo ἀπλῶς ablutus dicatur: quòd si autem in  
capite, vel in scapulis, vel in pectore, vel in humero fiat ab-  
lutio, verum esse baptismum. In hac opinione meminimus  
Dominicum Sotum, Franciscum Svarez & alios fuisse. At  
fundamento caret ipsorum hypothesis. Non est de ratione  
aut essentiâ baptismi, ut quis inde simpliciter ablutus, sed ut  
absolutè baptizatus dicatur. Ad hoc autem satis est, esse tinc-  
tum in nomine SS. Trinitatis, quacunque in parte, & quan-  
taliber aquâ. Ad illud ne quidem sufficit ullius partis tinc-  
tio, cum esse simpliciter ablutum idem sonare videatur,

quod secundum totum corpus & omnes partes lotum esse. Inanis etiam & insulsa curiositatis est querere, an minima partis v. g. digiti modica ablutio, si fiat in nomine Trinitatis, sit baptismus. Certum enim est, si fieri possit, aliam ac amplio rem partem quam digitum, & nisi desit aqua, largiori effusione, quam ad digitum tingendum sufficit, tingi oportere: non quod ad substantiam baptismi aut ejus efficaciam tale quid sit absolute necessarium; sed quia cum sacramenta sint visibilia sigilla invisibilis gratiae, eò magis ob signatur gratia baptismi, quò illustrior est corporalis ablutio. Et quanquam addimus, *si fieri possit*: vix tamen unquam credimus contingere, ut cum tingi possit digitus, alius aspergendae partis negata sit potestas. Quod Thomas

- (a) *part.* (a) & alii, qui ipsum sequuntur, autumant, infantes adhuc  
III. *qv.* intra latebras uteri materni conclusos, imminente mortis  
LXVII. periculo, in foras egressa qualibet parte, etiam digiti vel pe-  
*art.* XI. dis extremitate, baptizandos esse: nam id plane absolum est.  
Servator non nisi eos renasci ex aqua & spiritu jubet, qui ex  
carne nati sunt. At qui in utero matris adhuc detinetur  
infans, nondum natus est. Quomodo ergo renascendi lege  
(b) *ep.* teneatur? Bene ait (b) Augustinus: *Nec renasci quisquam*  
LVII. *ad.* potest, antequam natus sit. Seposito itaque hoc casu, si de  
Dardan. hominibus perfecte natis loquamur, vix contingit, ut non  
membri alius quam digiti aspergendi sit potestas. Neque  
negamus, nisi commode totum corpus aspergi possit, ordi-  
nariè hunc partium delectum habendam esse, ut caput po-  
(c) *in IV.* tius, quam alia corporis pars; aut quod Richardo (c) pla-  
*sent. dist.* cet. principaliter caput seu facies, & nisi quid prohibeat, po-  
IV. *qv. 2.* stea pectus aspergatur. Etsi, inquam, non tale quid necessa-  
rium ad substantiam baptismi, magis tamen esse conveni-  
ens arbitramur. Quanquam ratio convenientiae neque illa  
Thomae est, quod in capite manifestatur principium anima-  
lis



lis vita: neque illa Richardi, quòd in capite vigent sensus,  
& pectus est sedes cordis; has enim causas servator procul  
habuit, cum corporalem ablutionem mandaret; sed quia  
illustrior est ablutio, si in toto corpore, aut in digniore ejus  
parte fiat; eoque evidentius gratiam ingerit animo ac re-  
praesentat. Fac interim esse casum, ubi neque in capite ne-  
que in pectore is qui baptizandus est commodè vel tutò a-  
spergi possit, sive ob vulnus, sive ob morbum, aut quacun-  
que alià obstante causà: non repugnamus, quin in scapulis,  
vel humero, vel quacunque alià parte, & quantulacunque  
aquà aspersissè istum sufficiat. Sicut enim totius corporis,  
vel capitis minimum aut pectoris copiosa perfusio non au-  
get baptismi efficaciam, licet illustrius ejus possit esse sigil-  
lum: ita alijs cujusque partis modica aspersio nihil ei de-  
rogat. Hinc scitè ac verè Angelus de Clavasio in sua Sum-  
mà Angelicà: *Tenetur communius, quòd qualiter cunque in voc.*  
*quis tingatur, est baptizatus, & quòd sufficit aspersio, quan-* Baptis.  
*tuncunque modica, in casu necessitatis.* cap. 14.

XXXIX. Qualis itaque & quanta ablutio ad substan-  
tiam baptismi necessaria sit, vel non sit, ex dictis amplius ob-  
scure esse potest nemini. Nunc cum ad principia ejus  
transire sit consilium, antè omnia sciendum est, ablutionem  
semel ut actionem, & iterum ut passionem considerari. Ut  
est actio, dependet ea à ministro simul & aquà, sed diverso  
modo. Minister plus non est quam causa mediata ablutio-  
nis dum movet aquam, quæ est in baptisterio, & effundendo  
super hominem facit, ut ea corpus contingat. Aqua autem  
ita mota & super hominem effusa immediatè corpus ejus  
abluit. Unde distinguenda hic est prævia aquæ motio &  
effusio ab ipsà ablutione. Effusio ministri immediata actio,  
sed aquæ passio est, quatenus ejus de loco in locum qua-  
dam motio. Ablutio verò & ministri & aquæ, sed immediata  
hujus

hujus, illius tantum mediata actio est. Quod si autem referatur ad eum qui abluitur ac baptizatur, passio est; sed actio vel alteratio physica, inter se pro more suo, operosius Scholastici quam utilius disceptant. Censet Franciscus  
*in part.* Suarez, non esse necessariam passionem aliquam physicam in corpore.  
*III. qv.* pure baptizati, ut ablutio fiat. Rationes ejus hæ sunt: Quia  
*LXVI.* in primis non est necessaria emundatio aliqua corporalis; nec  
*disp. xx.* separatio alicujus impure substantiæ à corpore baptizati. De-  
*sect. 2.* inde non est necessaria aliqua alteratio; nam licet hæc  
naturaliter consequatur, verbi gratia, frigiditas vel  
humectatio, tamen est per accidens ad rationem ablutionis, ut  
sic. Unde si per potentiam Dei fingamus impediri ac suspendi  
omnem hujusmodi alterationem, nihilominus intelligitur manere  
vera ablutio, & ad Baptismum sufficiens. Rursus non est  
necessaria motio localis corporis baptizati: nam licet interdum  
possit fieri, quando Baptismus fit per immersionem, ut infra dicemus,  
tamen per se non est necessaria: satis enim est, quod aqua  
moveatur contingendo corpus baptizati. Nulla ergo passio  
propria ac physica talis corporis est necessaria ad hanc ablutionem.  
Solutus enim contactus nullam passionem dicit recipere  
in corpore baptizati, sed denominationem tantum extrinsecam,  
seu relationem quandam ex tali propinquitate corporum resultantem. Quæ de emundatione & motione locali  
corporis differit, in iis nos non habet adversarios. Illud  
autem vix est ut nobis persuadeat, posse per absolutam Dei  
potentiam dari veram ablutionem sine humectatione. Si  
ablutio plus non esset formaliter, quam contactus aquæ, non  
moram subscriberemus. Potest enim per Dei potentiam aqua  
contingere corpus, quin humectet. At contactus ille aquæ non est  
ablutio, si absit humectandi actus. Neque enim formaliter in eo  
consistit ablutio, quod aqua contingit corpus, sed quod contingendo  
humectat, cum  
inte-

interim contactus tantum sit pravia ac necessaria eius conditio. Tam g. repugnat esse abluionem sine humedatione, quam esse hominem sine animâ. Humedationem verò esse passionem sive alterationem physicam, haut facile quisquam negaverit.

XL. Eadem hæc principia vocamus, quæ supra connotata diximus. A quibus enim veluti principiis pendet ablutio vel baptismus, eadem in suo formali conceptu connotat. Alia autem sunt principia & connotata abluionis in genere, veluti is *qui abluit*, *qui abluitur*, & *liquor sive aqua*. Omnes enim, audito *abluendi* verbo, ista tria concipimus; hoc quidem, ut principium *quo*, i. e. quo fit ablutio: illorum utrumque velut principium *quod*, sed activum alterum, alterum passivum; sive ut aliàs loquuntur Scholæ nostræ, efficiens unum, alterum subiectum. Alia sunt baptismi, quâ baptismus est: *verbum* scilicet, quo sanctificatur ablutio, ut sit vel fiat baptismus; & *res sive gratia*. Instrumentum enim quoddam Dei est baptismus, quo gratiam iis qui baptizantur confert, sive spiritualis regenerationis, sive oblationis. Cum itaque omnis instrumenti natura in usu consistat, sive in eo, *quod sit alicuius gratia*: Baptismus etiam nec concipi potest nec definiri, sine mentione spiritualis operationis sive effectus, cui inservire Deus hoc sacramentum voluit.

XLI. Singula consideraturis materia commentandi haud sterilis præberetur. Neque enim quis & quâ intentione baptizare, neque quinam baptizari debeant, neque cuius gratiâ institutum sit hoc sacramentum, levis disputatio momenti erat futura. Sed seponenda tantisper illa quidem sunt, dum de utroque principio *quo*, aquâ & verbo, actum fuerit, ut quæ propius substantiam baptismi tangunt. De aquâ, quam huius Sacramenti materiam in Scholis dici su-

G

præ

prà meminimus, & recentioribus Theologis & antiquis Patribus inter se convenit, jure divino & ob id adeò prorsus ad substantiam baptismi pertinere, ut ne alium quidem pretiosiore liquorem, nedum arenam vel aliam non liquidam materiam liceat substituere. Non id quidem ex verbis institutionis, si ut jacent spectatur, & ut sonant, potest demonstrari. Neque enim aqua, sed simpliciter baptizare discipulos suos jussit Servator, nullâ principii quâ factâ mentione. Non interim desunt alia loca scripturæ, unde quod propositum est probetur, & verborum institutionis interpretatio petatur.

XLII. Et primùm quidem Servatorem discipulis baptismum aquæ præcepisse, suprâ vel illud efficaci nobis argumento esse visum est, quod aliis baptizandi modis vel generibus, quorum aliàs Servator meminit, non potest hic esse locus. Neque enim intelligi potest baptismus sanguinis sive martyrii, quia aliàs mandatum Apostolis esset parricidium; neque flaminis sive Spiritûs S. quia hoc, attestante Johanne Baptista, soli Christo competebat. Neque præter hæc duo baptismi genera aliud, cujus auctor possit censeri Christus, usquam in N. T. memoratur, nisi baptismus aquæ, quod *fluminis* veteres dixerunt. Restat ergo, ut hoc Apostolis à Domino injunctum esse intelligatur. Quanquam adhuc ambigi ac quæri potest, an præcisè sub usu aquæ mandatum esse censendum sit, quod usu aquæ administratum esse ex aliis scripturæ locis constat.

XLIII. Aliàs & ab institutione baptismi Johannis, ac praxi ejus argumentum peti potest, suppositâ tamen hypothesi, quam negant Pontificii, idem esse Johannis & Apostolorum Christi baptismum. Nempe Johannes baptizabat aquâ, nunquam alio liquore, nedum re & materiâ non liquidâ. Sic Christum ipsum, sic discipulos ejus, sic omnes bapti-

baptizavit, nunc Jordane fluvio usus, nunc aquis in Ænon prope Salim fluentibus. Neque propriâ auctoritate aquam ad baptizandum delegit, sed ex mandato Dei. Verba enim de Deo faciens, ait: *Qui misit me, ut baptizarem aquâ.* *Ioh. I. 33.* Quid autem est missio, nisi mandatum? aut quomodo Deus mittit ministros, nisi præcipiendo, quid debeant agere? Quò respiciens Lucas scribit: *Factum est verbum Domini super Iohannem Zachariae filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum.* *Luc. III. 2, 3.* Idem autem esse baptismus, quod administravit Iohannes, & quod Christus, cum terras reliquit, erat, Apostolis injunxit, apud nostros indubitatum est, quicquid regeant Pontificii, quorum argumenta examinare hujus non est instituti. Quamobrem si Iohannes obligatus fuit ad baptizandum aquâ, ad idem Apostoli obligabantur.

XLIV. Manifestissimum autem præcepti argumentum Domini est, quòd Servator Nicodemum de spirituali regeneratione per baptismum instruens, ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* *Ioh. III.* Non quidem verba in modum præcepti efferuntur, sed implicitè tamen & per consequentiam vim & auctoritatem præcepti secum trahunt. Imò ipse Dominus mox ea, quasi in modum præcepti, ita interpretatur: *Ne mireris, me dixisse, O P O R T E T V O S N A S C I D E N V O.* Nempe si necessarium ad salutem est, nasci ex aquâ & spiritu: utique hoc divini existimandum præcepti est. Et si divini præcepti non qualibet, sed ea est regeneratio, quæ ex aqua & spiritu datur: usum aquæ quoque divini esse præcepti necessum est. Unde S. Paulus *lavacrum aquæ* appellat, nomine dubio procul non à re indifferente, sed ab eo, quod ad substantiam baptismi pertinet, petito. *Eph. v. 26.*

XLV. Denique consentit his Apostolorum constantissima praxis, in principio pariter ac progressu administrati ab illis baptismi. Vix dum baptizatus à Iohanne erat Servator, cum discipuli eius coeperunt quoque baptizare, nisi iubente, certè sciente nec prohibente magistro. Quinimò

*Ioh. 111,* ipsum Iesum baptizasse, ait Iohannes Evangelista. Quomodo autem intelligendum sit, mox explicat his verbis:

*Ioh. 14, 2.* *Quamquam Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius.* Nimirum ipse dicebatur fecisse Iesus, quod auctoritate ipsius fecerant, aut certè præsimebantur fecisse discipuli. Baptizabant autem eodem modo, quo Iohannes, i. e. aquâ. Cuius rei Iohannem, quasi id ægrè laturum, admonebant sui discipuli, non facturi, nisi eundem tenorem in baptismo discipulorum Christi observassent. Post ascensionem Christi in coelos tantum abest ut Apostoli à baptismo aquæ abstinuerint, ut etiam admoniti præcepto dominico coeperint fervidiùs administrare. Ita illapso in Cornelium & domesticos ejus Spiritu Sancto, ajebat S. Petrus: *Num quis*

*Act. 2,* *47.* *QVAM prohibere potest, quò minus baptizentur ij, qui Spiritum S. acceperunt, sicut & nos?* Cuni etiam Æthiops Eunuchus, Candaces reginæ Æthiopum Dynastes, in itinere à Philippo, quem forte fortunâ oblatum in currum ascendere jussérat, de Jesu & ejus doctrinâ institutus erat,

*Act. 11,* commodùm ad aquam quandam delatus dixit: *En A-*  
*26.* *QVAM! quid prohibet me baptizari?* Nec morâ baptizatus à Philippo in illâ aquâ fuit. At regeri potest, mergendo etiam tam Iohannem quam Apostolos baptizasse, neque tamen immersionem in ijs habitam fuisse, quæ à Domino mandata essent: Ergo nec ex Apostolorum aquâ baptizantium praxi ac more rectè colligi, usum aquæ mandatum esse. Ad hoc parata est responsio, disparem rationem esse. Semper enim ad substantiam sacramenti pertinet elementum.

mentum externum sive symbolum, & quæ circa illud ex-  
ercetur principalis actio, cum interim modus agendi pos-  
sit humano arbitratui subiacere ac variare. Atqui incrio  
plus non quam certum abluendi modum importat: sed a-  
qua est sacramenti substantiale symbolum sive elementum,  
& ablutio est principalis ejus usus sive actio. Quapropter  
tam aquam quam abluionem ad baptismi substantiam per-  
tinere, bene ex Apostolorum praxi colligitur, licet non æ-  
què inde mersionis probari possit necessitas, aut divina au-  
toritas:

XLVI. Quare autem ita Christus sacramentum hoc  
instituerit, ut non sicco conspergamur pulvere, sed liquore  
aliquo & quidem aqueo abluamur, etsi curiosè magis quàm  
utiliter quaritur, non desunt tamen probabiles conjectu-  
ræ. Habent id sacramenta præ Dei verbo proprium & pe-  
culiare, ut gratiam, quam conferunt, aut effectum spiritu-  
alem, quem operantur, naturali aliquâ similitudine, quasi  
signa ac sigilla visibilia, ingerant animo & obliquent. Hinc *epist.*  
bene Augustinus: *Si sacramenta quandam similitudinem xxxviii*  
*earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent; omni- ad Boni-*  
*no sacramenta non essent.* Quando itaque Deus nos, qui ex *fac.*  
carne sumus nati, renasci voluit ex spiritu, & animas sic  
nostras à peccatis spiritualiter abluï, huic fini instituit ba-  
ptismum, & corporalem abluionem injunxit, ut sicut aqua  
sordes corporis abluït, ita & per baptismum ab omni peccato  
spiritualiter purgatos nos, & innovatos credamus, ut quod in-  
corporale est, invisibiliter abluatur: Verba sunt B. Ambro-  
sij(a). Ex quo etsi non sequitur, præcisè aquâ baptizandum (a) *in ep.*  
esse, cum etiam alio liquore possit abluï corpus: nullâ ta- *ad Rom.*  
men aliâ re, quàm liquore vel humore aliquo, posse fieri *cap. vi.*  
abluionem certum est, cum per essentiam sit humectatio  
ejus, quod abluïtur, ut suprà contra Suarezium ostendi-  
mus.

XLVII. Quæ cum ita sint, neque arenæ neque pul-  
veris neque alijs materiæ non liquidæ usus, deficiente a-  
quâ, in baptismo locum habet; non tantum quia repugnat  
institutioni Christi & praxi Apostolorum; sed & quia essen-  
tiam baptismi catenus evertit, quatenus ablutionem cor-  
poralem excludit. Exemplum refert Joannes Moschus, (a)  
*(a) in* ejus qui ter super caput sparsâ arenâ baptizatus est, negatâ  
*prat. spi-* aquæ copiâ. Digna est memoratu historia, nec sublesta fi-  
*rit. c. ap.* dei, utpote quam Moschus se à Palladio, hunc verò ab An-  
*cl. xxvi.* drea Abbate oculato teste audivisse affirmat. Scilicet He-  
*rom. xiii* braus quidam juvenis, nomine Theodorus, novem co-  
*Bibl. pp.* mitatus Christianis, quos inter erat modò dictus Andreas,  
*p. 1132.* in Palestinam abiit, delatusq; in eremû, cum partim cursu  
*historia* & inediâ, partim siti & æstu solis enervatus lethali morbo  
conflictari inciperet, etiam atque etiam rogavit comites  
suos, se ut baptizarent, ne Hebraus moreretur. Renuebant  
illi initio, neque hîc aquam esse causati, neque sibi ut secu-  
laribus licere occupare alienum officium. Postea verò  
cum juvenis easdem preces verbosius & cum lacrimis in-  
gensinasset, commiseratione tactus unus ex comitatu In-  
dustrius, arreptam ambabus manibus arenam ter super ca-  
put ipsius consuetâ baptizandi formulâ sparsit: & interea  
dum id fieret, juvenis ex gravissimo morbo miraculosè  
convaleuit, ut nec morâ coeptum iter cum alijs, aliosque  
præcurrendo, & sine lassitudinis sensu vel indicio continua-  
ret. Dehinc venerunt Ascalonem, ibique adducto ad Di-  
onysium urbis episcopum Hebræo, rem omnem enarrarunt.  
Obstupuit ad hoc factum episcopus, convocatoque Clero,  
quæsi vit ex illis, num arenæ effusionem pro vero haben-  
dam baptismo censerent. Affirmabant alij, ob miraculi,  
quo factum divinitus probatum videbatur, magnitudinem:  
Alii negabant, respicientes cum primis illud Christi cum  
Nico-



Nicodemio colloquium, quo *ex aqua* eos, qui cupiant introire in regnum Dei, renasci oportere ait. Post diutinam disceptationem, & multos utroque citroque sermones, tutissimum est visum Dionysio, mitti ad Jordanem arenam conspersum juvenem, & denuo baptizari. Neque enim tantum apud ipsum valuit miraculi auctoritas, ut actum, qui ab institutione Christi longè abibat, pro baptismo reputaret.

XLIIII. Cum autem alius liquor ad abluendum & mundandum non minùs quàm aqua sit idoneus: causas rimari nostram non est opis, quare Dominus aquam potius quàm alio liquore nos ablui voluerit. Valeant, quantum possunt, veterum conjecturæ, quas non unâ divinatione promunt. Ambrosius, cujus verba ex parte jam citavimus, ait: *Ideo per aquam celebratur baptismus, ut sicut aqua for-* *in ep.*  
*des corporis abluit, ita & per baptismum ab omni peccato spi-* *Rom. c.*  
*ritualiter purgatos nos & innovatos credamus.* At enim for- *VI.*  
des corporis abluere, non ita proprium est aquæ, quin etiam alii cuidam liquori, veluti vino vel lacti, & forte magis, quàm aquæ competat. Proprius aquam contingit illa Hieronymi conjecturæ: *Aqua refrigerat: sic baptismus pre-* *epist.*  
*stat refrigerium contra concupiscentiæ ardorem.* Aqua enim *LXXXIII.*  
elementum frigidissimum est. Algerus monachus Clunia *ad Oceân.*  
ensis ab utraque virtute tum mundandi, tum calorem restringendi, analogiam accersit. Quia, inquit, aqua exstinguit, mundat & candidat præ cæteris liquoribus: ideo etiam in baptismo inceptivam carnis restringit; peccatorum tam originalis quàm actualis labem abluit; & innocentie candorem reducit. Accedit huc, parabilem oportuisse esse liquorem, quo omnes baptizarentur, ut omnibus ejus posset esse copia, extremè paupertinis non minùs quàm summè opulentis. Non interim usum aquæ retinemus ob istas  
& alias

& alias ratiunculas, sed ob Christi instituentis auctoritatem, cuius mandata stricti juris sunt, negata quantumvis omni etiam probabili causâ. Unde irreverenter ac temerè nonnulli ambigentium more quarunt, an, deficiente aquâ, alium liquorem liceat substituere. Adhuc irreverentiùs de illâ quaestione, prout à doctissimo Vossio citatur, decernit Beza: *Desit aqua, & tamen baptismus alicuius differri amplius cum adificatione non possit, nec debeat: ego certè quovis alio liquore non minùs ritè quàm aquâ baptizârim.* Satiùs est, planè abstinere à baptismo, quàm non ita illum, ut Christus instituit, administrare. Imò divinæ leges ac præcepta ne obligant quidem ad exercitium ejus, quod jubent, si necessaria deficiant: at quotiescunque id quod jubent volentes exsequi, obligant ad speciem actûs. Quamobrem cum non peccet aliquando is, qui non agit, quod leges divinæ jubent; semper tamen peccare eum necessum est, qui aliter quàm jubent agit.

XLIIX. Etsi autem in aquis magna est differentia ac diversitas, non quidem ratione essentiali, sed pro loci, saporis, virtutis & aliarum qualitatum varietate: non tamen in baptismo ullus earum delectus, certè non de jure divino requiritur. *Joh. III.* Servator nos *ex aqua & spiritu renasci* jussit. Quomodo aliter præceptum ejus accipiamus, quàm de quolibet verâ & naturali ac purâ aquâ, ut est in cujusque terræ fluviis vel rivis, ut in fontibus, ut in mari, ut in stagnis vel piscinis? *Matth. III.* Johannes *baptizabat in Jordane*, non quòd melior in eo fluviò, & ad baptismum aptior esset aqua, quàm in Tiberi, sed quòd opportunior, & Judæis ad excurrendum propinquior locus. Postea cum esset yisum, & res ita ferret, etiam alibi, & teste Evangelistâ, *in AEnon prope Salim* baptizabat. *Joh. III. 23.* Apostoli verò ubicunque erant aquæ, nullè earum delectu baptizârunt, ut cuique commodum, ut propinqua

pinqua aqua, ut baptizandorum intererat. Ita Philippus  
Eunuchum in viâ aquis forte fortunâ oblati merfit & ba-  
ptizavit, ne diutiùs desideria ejus moraretur. Benè itaq; (a)  
Tertullianus: *Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flu-* (a) l. de  
*mine an fonte, lacu an atveo diluatur, nec quicquam refert baptis-*  
*inter eos, quos Johannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi contra*  
*tinxit. Nisi & ille Spado, quem Philippus inter vias fortui-* Quin-  
*tâ aquâ tinxit, plus salutis aut minus retulit. Et Gregorius till. c. IV.*  
Nyssenus (b) ait: *Omnia aqua est apta ad usum baptismatis, si* (b) hom.  
*modo invenerit fidem accipientis, & benedictionem sacerdo-* cōtra di-  
*tis sanctificantis. Quando autem, inquires, aquis ad-* lat. Ba-  
*mixtum est aliquid terrestri vel aliis materiæ, sicut sal ma-* ptism.  
*rinis, & lutum turbidis, quid fiet de illis? Num adhibendæ* tom. II.  
*in baptismo, quia aquæ sunt, an quia impuræ, rejiciendæ?* p. 126.  
Ad quam quæstionem distinguendo ita responder Joha-  
nes Gerson: *Aut illa commixtio aqua tollit speciem & propri-* Comp.  
*etatem elementi, & ipsum trahit in aliam speciem, aut non.* Theol.  
*Si tollit, tunc in illâ commixtione non potest fieri bap-* tract. III  
*tismus, sicut nec in medow, nec in cerevisiâ nec in lixivio. Si au-* de septē  
*tem non tollit proprietates & speciem aqua, quin ipsa aqua re-* Sacram.  
*maneat in virtute refrigerandi & abluendi, tunc in illis potest*  
*fieri baptismus, ut in mari & aquis turbidis.*

L. Non interim baptismus, quod externum aquæ  
symbolum sive elementum attinet, veterum hæreticorum  
ac sectariorum evasit corruptelas. Et primùm quidem tur-  
bashoc nomine olim dederunt Marci præstigiatoris secta-  
tores, qui Marcossii dicebantur, deterrima illa & execran-  
da Gnosticorum propago. Quorum etsi multi formam  
tantum baptismi & variè mutârunt, contenti purâ & sim-  
plici impermixtæque aquâ: aliqui tamen latius progressi  
leum aquæ miscuerunt, fortè ut vili elemento virtutem ac  
pretium adderent; aliqui etiam aquæ vilitate nimium of-  
fensi, & illius & omnis elementi corporei ac sensibilis usum

à Dei mysteriis remotum longè atque exclusum voluerunt. Audiamus hæc fufius de illis narrantem Irenæum. *Quidam l. 1. con- verò ipsorum, inquit, ad AQUAM ducere superfluum arbit. heres. trantur, verum OLEVM & AQUAM permiscentes, cum c. XII. additione similium, velut diximus, verborum, in caput eorum qui inicianur fundunt: & hoc redemptionem esse volunt: Ungui verò & ipsi balsamo. Alij autem hac omnia averfantes dicunt, non oportere inenarrabilis ac invisibilis virtutis mysterium, per visibiles ac corruptibiles creaturas perfici, & eorum quæ mente concipi non possunt, & incorporata sunt, (a) hæres. per sensibilia ac corporalia. Esse autem perfectam redemptionem, ipsam cognitionem inenarrabilis magnitudinis. Eadem XXXIV. (b) de ubi de Marcossis agit, ex Irenæo allegat (a) Epiphani<sup>9</sup>. The- haret. odorer<sup>9</sup> (b) posterioris sectæ hæreticos Ascodrutas ab aliis, fab. l. 1. ab aliis Ascodrupitas appellatos dicitur, & Irenæum imita- cap. 2. tus, iisdem ferè verbis describit. At partis & sectæ eorum, qui aquam oleo miscuerunt, non meminit, fortè quòd ist- hac misturâ baptismi substantiam minùs everti crederet. Quanquam distinguendi sunt gradus misturæ. Si copiosè oleum in aquam infundatur, vix baptismo constabit sua integritas. Neque enim jam aquæ, sed olei, quod prævalet, erit baptismus. Alia autem est ratio, si multis aquis parum olei guttatim misceatur: sic enim ex institutione Christi potiores aquæ partes manebunt. An verò illi Marcossii, de quibus Irenæus & Epiphanius loquuntur, modum in misturâ olei & aquæ servârunt, nobis non licet divinare. Pontificios interim eundem morem quodammodo sequi arbitramur, cum non verbali modò benedictione, sed & unguenti ac chris-matis trinâ infusione aquam baptismalem in antecessum consecrant. Et licet illi quidem, si modum misturæ servent, substantiam baptismi non evertant, haud tamen reprehensionem penitus effugiunt, eo utentes ritu, cujus non tantam nulla utilitas, sed & incerta est origo. Pro  
usu*

usu verbalis benedictionis habent ex veteribus, quos testes  
appellent, non paucos; vix quemquam pro unguenti &  
Chrismatis trinâ infusione, nisi Dionysium Areopagitam,  
qui libro de hierarchiâ Ecclesiasticâ ita scribit: *Cum eas* cap. II.  
*(aquis) trina unguenti perfusione crucis specie perfecit, vi-* part. II.  
*rum ad se portare iubet.* Verum suspectam esse hujus scripti  
fidem quis est qui nesciat? Si qui alii Chrismatis in aquam  
baptismalem infundi soliti meminerunt, recentiores sunt,  
quàm ut veteribus accenseri mereantur, ut Hiacmarus Rhe-  
mensis, Severus Alexandrinus, scriptor quisquis fuerit or-  
dinis Romani, & Albinus Flaccus de divinis officiis.

L I. A Marcossiorum errore, & eorum quidem, quos  
Ascodrutas & Ascodrupitas appellatos meminimus, nihil  
abscessit Quintilla, contra quam libram de baptismo con-  
scripsit Tertullianus, adeo ut ex eorum scholâ prodiisse vi-  
deatur. Quandoquidem & ipsa non potuit sibi persuadere,  
per baptismum homines ad remissionem peccatorum atq;  
æternitatis spem purgari, cum ob vilitatem aquæ, tum  
quod is, qui merfus est aquis, ne à corporalibus quidem sor-  
dibus mundior exeat, uti clarè ex iis Tertulliani verbis, quæ  
suprà thesi XIX. adduximus, constat. Neque ob id modò  
usum aquæ abstulit ex baptismo, sed nec ullum aliud cor-  
poreum elementum substitui voluit, quæ Ascodrutarum  
erat propria opinio. Quin & substantiam baptismi, incertum  
an consentientibus Ascodrutis, unà cum omnibus ceremo-  
niis subvertit penitus & submovit, si rectè assecuti sumus  
Septimii mentem, ita scribentis: *Atque adeo nuper conver-* de ba-  
*sata istic quedam de Caiânâ heresi viperâ venenatissimâ do-* ptism.  
*ctrinâ suâ plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens* cap. 1.  
*planè secundum naturam suam.* Vocat viperam de Caiânâ  
heresi, non quod undique ad illam hæresin adhæresceret,  
sed quod præcipuè usum aquæ in baptismo cum Cajanis  
improbaret, quos nisi in omnibus, certè hîc Marcossiorum  
& Asco-

& Ascodrutarum sectatores fuisse per est verosimile. Quod autem adeo abjectè & pravè de usu aquæ sentienti mulieri reposuit Florens, aquas in primordio creationis à Spiritu Dei super ipsas vecto sanctificatas fuisse: nã ea pia potius quàm vera est conjectura, quæ post ipsum & aliis placuit. Neque enim apparet, quomodo aquæ inde, quod Spiritus Dei super eas ferretur, quicquam sanctitatis combiberint. Rectius fecisset laudatus scriptor, si respondisset, efficaciam baptismi non præcisè ab aquâ, sed ab institutione Christi & verbo aquæ usum sanctificante proficisci. Quod autem, cur vapulet, evadat manifestius, non abs re fuerit potissimam dissertationis ejus hac de re partem adscribi.

ibid. cap.

3 v.

autem, inquit, utique super sanctum ferebatur, aut ab eo quoddam superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutabatur. Quoniam subiecta quæque materia, eius quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maxime corporalis spiritualem, & penetrare & insidere facilem per substantia sua subtilitatem. Ita de sancto sanctificati a natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit. Objicientique: Numquid ipsis enim aquis tingimur, quæ tunc in primordio fuerunt? respondet: Non atque ipsis, nisi ex eâ parte, quæ genus quidem unum, species vero complures. Quod autem generi attributum est, etiam in specie redundat. Juris interpretum more generis vocabulo speciem, & specierum appellatione individua siue accidentia aquæ intelligit, quæ etiam statim verbis modo thesi XLIX. laudatis commemorat, tandemq; concludit: igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Videtur autem his verbis, id quod antè dixerat, corrigere aut explicare, dum ex incubatione Spiritus Dei super aquas non tam sanctitatem earum, quàm qualemcunque prærogativam, ut in usum baptismatis præ cæteris liquoribus allegantur, colli-

colligit, easque in ipso demum baptismo invocatione Dei sanctificari affirmat.

LII. Manichæos quoque usum aquæ in baptismo improbasse, eisi Epiphanius & Theodoretus tacent, testis tamen haud sublesta fidei est Augustinus, cum ait: *Bapti-hares. snum in aquâ nihil cuique perhibent salutis afferre: nec quem- x l. v l. quam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Eucere & illi aut naturali vilitate elementaris aquæ offensi, aut in præceptis acti eâ, quæ Manetis magistri propria erat, opinione, quâ duo principia duosque Deos fingentes, aquam cetera elementa à Deo malo esse blasphemabant. Quamquam cum in eodem errore Marcion eiusque discipuli haerent, non tamen legantur usum aquæ ex baptismo submovisse. Fuit sanè & ex illis, referente Theodoro, senex quidam nonagenarius, qui ut videretur non indigere creatoris opere, manè sputo faciem, non aquâ lavabat. Multò magis crederem ex baptismo id hominum genus usum aquæ abstulisse, nisi disertè moneret Theodoretus, eò nomine senem redargutum fuisse, quod cum ad solita mysteria aquâ & aliis creatoris operibus uteretur, nollet ad faciem lavandam uti. Circumferebantur apocrypha acta S. Thomæ Apostoli, quibus proditum erat & confictum, non aquâ, sed oleo Thomam solitum baptizare. Hunc Manichæos imitari voluisse, nonnulli opinantur, sed incertâ conjecturâ. Neque si ideò aquâ abstinerunt, quòd à malo Deo esset, pluris oleum eos fecisse credibile est, cum nec hujus aliam quàm aquæ esse originem arbitrarentur. Verosimilius est, ex Marcionum sectâ illos, qui aquam oleo miscebant, ad Thomæ fictum morem, sed Manichæos ad Ascodrutarum consuetudinem accommodare se voluisse, qui neque aquâ neque ullo corporeo & visibili elemento celebrari Dei mysteria patiebantur. An autem & quomodo a-

do aliàs baptismum administrârunt, tacentibus antiquis, & nos ignoramus.

hæres.  
LIX.

LIII. Sed & Seleuci atque Hermiæ Sectatores, dictos ab his ipsis auctoribus Seleucianos & Hermianos, *baptismum in aqua non accepisse*, narrat ex Philastrio Augustinus. Non autem sicut Ascodruxa vilitatem aquæ, quod putat Danaus, sed aliam causam errori suo obtendebant, quam expressit Philastrius, cum ita de illis scribit: *animas hominum de igne & spiritu esse estimantes, isto baptismo aquæ non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Johannes Baptista: Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*. Si rectè Philastrii mentem assequimur, baptismum aquæ ne animabus quidem purgandis accommodatum esse putabant, quòd *de igne & spiritu* essent, eoque Johannem Baptistam sic interpretabantur, quasi prædixisset, exspiraturum esse baptismum aquæ, incunte Christi, qui *in Spiritu S. & igne* fieret, baptismo. Hujus autem appellatione quid intellexerint, & num Christum tantùm Spiritu S. & igne baptizasse, an verò ad se idem baptismatis genus devolutum, & in Ecclesia perpetuandum existimaverint, nemo veterum

(a) l. cõ-  
tr. hæres.  
Baptis-  
mus hæ-  
res. 1.  
Act. 11, 3

meminit. Alfonso de Castro (a) & recentiores quidam auctores, hii suspicantur, illos *igne corporali baptizasse*; sed quâ ratione, quòve argumento, non videmus. Est enim nos vaticinium illud Johannis Baptistæ de visibili effusione Spiritus S. super Apostolos accipimus, quæ facta est in die Pentecostes, cum *visa sunt eis lingua dissipata instar ignis*: id primò tamen incertum est, an & hæretici ita locum accepissent. Quid? si ut veterum catholicorum nonnulli spirituales & invisibiles aliquam animarum purgationem intellexissent? Quâ interpretatione ad usum ignis corporalis non poterant moveri. Deinde si vel maximè locum de visibili baptismatis symbolo accepissent, neuiquam tamen conitat,



constat, illos tenuisse eodem modo ac symbolo, quo Christus peregit, continuari per homines baptismum posse, & oportere. Jacobitis autem id nefandi erroris portentum imputat & impingit Bernhardus Lüzemburgensis, quod cum ex illo Johannis Baptista verbo colligerent, non aquâ, sed igne baptizandum esse, aduersione quadam in fronte vel in genibus parvulorum impressâ baptizaverint. Cum verò neminem ex veteribus testem ille appellaverit, fides auctorem appellet.

LIV. Præterea recentioris ævi sectarios Paulicianos usum aquæ ex baptismo abstulisse, refert Euthymius Monachus Zigabenus. Sunt, qui putant, illos pro aquâ substituisse verba hæc Christi: *Ego sum aqua viva*. Verum id non dicit Euthymius, neque ex verbis ejus colligi potest. Affirmat, eam sectam verba ipsa evangelii baptismum esse existimasse. Utrum autem recitatione talium verborum celebrari baptismum voluerint, an verò tantum aquam, quâ abluimur à peccatis & justificamur, esse ipsum Christum verbis evangelii significaverint, neutram in partem exprimit. Non antiquior Paulicianis fuit Flagellantium improba factio, qui exterminato aquæ baptismo, baptismum proprii & flagellis elicitæ sanguinis instituerunt; seu consuetam baptizandi formam adderent, ut ita sanguinis ex cute & venis expressio esset pro baptismo; seu tantum patientiâ flagellis usque ad sanguinē se cædendi baptismo præferrent, tanquã cui ad abluenda peccata plus ponderis inesset. Vide de hac secta Bernhardum Lüzemburgensem (a), Alfonsum de Castro (b), & Sanderum (c). Non possumus, quin adscribamus, quæ in vitâ Gregorii X. Papæ (d) de illis leguntur verba: *Huius tempore emerferunt ex Italia Flagellantes hæretici incerto auctore, qui per Germaniam & Galliam vagantes semetipsos flagellabant, & inter cæteros errores*

*catalog.  
heret.  
lib. II.*

*part. II.  
Panopl.  
tit. XXI.*

*(a) catalog.  
heret.  
lib. II.*

*(b) l. cõt.  
her. ver.  
bo Bapti.*

*res ref. XII.*

*(c) l. VII. de visib. monarch. her. rōs. (d) tom. XXII. Concil. p. 510.*

res hoc predicabant, & neminem salvari posse, nisi sanguine  
de proprio suo corpore per flagella excusso baptizaretur, & aquam  
benedictam nihil efficacia habere.

LV. *Verbo* Et haec haec haec de aquâ baptismali, generali  
ori illo & communioribaptismi principio. Transimus ad  
alterum baptismi proprium principium, quod est verbum.  
Quemadmodum enim ab aquâ baptismus non ultra, quam  
qua est ablutio, adeoque secundum esse genericum & com-  
mune dependet: ita secundum propriam & specialem il-  
lam rationem, quâ est baptismus, verbo perficitur. In ver-  
bo autem Dei geminum de baptismo occurrit verbum:  
*promissionis unum*, quo scilicet Servator spiritualem fru-  
ctum & efficaciam baptismi promisit, quale est illud: *Qui*  
*crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: Alterum *insti-*  
*tutionis*, i. e. quo Christus, cum ex terris erat discessurus,  
Apostolis baptismum in nomine Patris & Filii & Spiritus  
S. administrandum injunxit. Verbum promissionis ad sub-  
stantiam baptismi non pertinere certum est. Neque enim  
ullum de illo proferendo extat Domini mandatum. Et  
prior est baptismi substantia, quam ejus fructus & efficacia,  
cum non nisi à baptismo secundum substantiam integro &  
perfecto expectari fructus possit. Quid? quod plane fru-  
ctus abesse potest. Et utinam non tam frequenter abesset!  
Non de infantibus loquor, qui obicem efficaciae baptismi  
haud possunt ponere, sed de adultis, quorum multi olim  
cum essent hypocritæ, verum quidem & substantiâ undi-  
quaque perfectum baptismum, sed sine fructu & efficaciâ con-  
secuti fuerunt. Itaque si quod ad substantiam baptismi ver-  
bum pronunciatum necessarium est, institutionis verbum sit ne-  
cessarium est. Quanquam quæri denuo potest, utrum illud  
veluti à Christo prolatum narrasse sufficiat, an verò mini-  
strum sibi, vel saltem ei quem baptizat, id oporteat accommo-  
dare.

de. Mandantis more Servator Apostolis suis & in illorum personâ omnibus Ecclesiæ ministris dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Vbi participium *Baptizantes*, quia additum est præcedenti verbo *ua* *ante* *voû* *is*, quod imperandi modo enunciat, rectè per verbum ejusdem modi & conjunctionem copulativam exponitur, distante id lege Grammaticâ, adeoque eodem habetur loco, ac si pro *ua* *Baptizate* (& *baptizate*) positum esset. Hoc autem verbum uti in suâ personâ non potest proferre minister Ecclesiæ, quia mandati est, neque ad eos quidem qui baptizantur, sed ad ipsos baptizantes ministros; ita nec ad hoc Sacramentum satis esse censuit vetus Ecclesia, si minister in persona Christi proferret, h. e. si ante vel inter baptizandi actum sic discipulis suis baptisma mandantem Christum induceret. Placuit itaque Latinæ Ecclesiæ, ut minister verbû activæ vocis tam sibi in primâ personâ, sive expresso sive subintellecto pronomine *ego*, quàm ei qui baptizatur, accommodaret, dicendo: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Quæ formula etiamnum in nostris Ecclesiis inconcussæ consuetudinis perpetuo tenore servatur. Apud Græcos autem tantùm ei qui baptizatur, suppressâ ministri baptizantis mentione, idem verbum passivè hunc in modum aptatur: *Baptizetur servus Christi*; servatis cæteris quibus SS. Trinitas invocatur voculis.

LVI. Verùm enim verò cum duo usitatâ apud nos formulâ exprimantur, tùm actio baptizandi cum mentione eius qui baptizat & qui baptizatur, tùm nomen sive invocatio SS. Trinitatis: quæsito & explicato opus est, utrum tota illa formula, an ex parte tantùm, & quousque ad substantiam baptismi sit necessaria. Pontificii totam esse necessariam non dubitant affirmare, quanquam disertè fatentur,  
I non

non ex solis verbis institutionis posse probari, nisi advocata in subsidium traditione. Sic enim scribit Bellarminus:  
*de baptisim. l. 1. Porro hanc esse veram & necessariam formam baptisim, colligitur ex evangelio, sed non evidenter ex solo evangelio, sed cogimur recurrere ad traditionem, & Ecclesie declarationem, 1. cap. III.*  
Verum nos nihil ex evangelio probari posse arbitramur, nisi quod vel disertè in eo sit expressum, vel inde per necessariam & evidentem consequentiam deduci possit. Quod si ergo dicta formula neque disertè mandata est in evangelio, neque inde per solidam sequelam esse mandata colligitur, non potest inde probari, ne additâ quidem traditione. An verò traditio facit, ut quod in evangelio disertè expressum non est, habeatur pro expresso, aut quod inde non sequitur, incipiat esse consecrarium? Evangelium, inquires, obscurum est, & ex traditione interpretandum, sicque interpretatum probat aliquid, quod, absque interpretatione esset, non probaret. Positâ, sed non concessâ evangelii obscuritate, interpretationem ex traditione non renuimus accersi, si verbis conveniat: sin minus; non interpretationem, sed arbitrariam esse sententiam autumamus. Id quod de priorè dictæ formulæ parte, quâ actus baptizandi cum mentione baptizantis & baptizati exprimitur, satis fortè manifestum est. Jussit Servator baptizare, sed non jussit, ut qui baptizat, profiteatur se baptizare, dicendo: *Ego te baptizo*. Neque ex participio *baptizans*, quo Servator utitur, neque ex imperativo *baptizem*, in quem resolvitur illud potest, per consequentiam istius formulæ mandatum colligitur. Sunt etiam Christi ad Apostolos mandata: *Docete omnes gentes, hoc facite in mei commemorationem*. Nemo autem ita ea accipit, tanquam præcepisset Dominus, non ut talia facerent tantum Apostoli, sed ut faciendo etiam dicerent, se facere. Quare ergo illud *baptizare sic* interpretemur,

temur, quasi ad obsequium non satis sit ministro baptizare,  
 nisi etiam baptizando dicat se baptizare? Agnoscit hoc ipse  
 Bellarminus, cum de priori formulæ parte ita decernit: *Ex  
 quibus verbis (sc. institutionis) si sola considerentur, non co-  
 gimur dicere; EGO TE BAPTIZO: sicut non cogimur  
 dicere, cum predicamus; EGO VOS DOCEO: sed vide-  
 mur satisfacere, si baptizemus & doceamus, etiamsi non ex  
 primamus verbis, nos id facere.* Hac non obstante difficul-  
 tate, subjicit: *Si tamen adiungamus ad hunc locum evangelij  
 Ecclesie auctoritatem, constat certissimè, omnia illa verba  
 ad formam baptismi pertinere.* Quod ex dictis oppidò  
 quàm absurdum est. Neque enim auctoritas Ecclesie facit,  
 ut sensus sit istius loci, qui verbis non convenit, & quem ne  
 divinando quidem aliquis assequi posset, ideoque dum pra-  
 xi suâ formulam commendat, non plus quàm humani cam  
 instituti esse arguit. Quanquam ea quoque testimonia, quæ  
 Bellarminus ex traditione jactat, recentiora sunt, quàm ut  
 multum iis sit tribuendum, ut Concilii Florentini in instru-  
 ctione Armenorum & Alexandri III. Papæ decreta. Satis  
 quidem audacter Alexander decernit: *Si quis puerum ter III. De  
 in aquâ immerferit in nomine Patris & Filij & Spiritus San. cret. tit.  
 cti, Amen; & non dixerit: EGO BAPTIZO TE &c. XLII. c. 1.  
 non est puer baptizatus.* Tantum autem abest, ut hujus Pa-  
 pæ accedente auctoritate juris divini sit vel fiat ista formu-  
 la, ut potius quia neque diserte à Christo est mandata, neq;  
 ex ejus verbis solidâ sequelâ colligitur, Papam turpiter er-  
 rârâse meritò censeas, quòd illam perinde esse necessariam  
 decernit, ac si juris divini esset. Adhuc absurdior est Inno-  
 centii Papæ opinio, non baptismum esse legitimum putan-  
 tis, neque si in occidentali Ecclesia usurpetur Græcorum  
 formula, neque si pro verbo *baptizo* aliud quantumvis æ-  
 quivalens substituat.

LVII. Sed & ex ratione, nescio an diffusio traditio-  
ni, argumentum tandem desumit Bellarminus, cum ait:  
*Denique etiam ratio id docet. Nam sola illa verba: IN NO-  
MINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI,*  
*etiam cum ipsa locutione externa, non determinatè significant*  
*id, quod hoc Sacramento significari debet. Nam posset fieri lo-  
cutione illa ad refrigerandum, aut curandum ab aliquo morbo, &*  
*ad id etiam rectè invocaretur auxilium sanctæ Trinitatis.*  
*Itaque addendum est verbum BAPTIZO, quo ex usu Eccle-  
siastico significatur ablutio à sordibus non tam carnis quàm Spi-  
ritus.* At tamen vereor ut hæc ratio vel tantilli sit momen-  
ti. Probat fortè convenientiam formulæ, sed non æquè ne-  
cessitatem. Sunt aliæ circumstantiæ, quæ actionem bap-  
tizandi esse baptismum arguunt, etiam si non dicat minister,  
esse baptismum. Uti qui baptizatur, petit baptismum,  
sive per se, sive per parentes aut susceptores; & petit, ut sa-  
cramentum à Christo institutum; & petit ab Ecclesiâ atque  
in Ecclesiâ; denique cum tota Ecclesiâ non possit conferre,  
petit à ministro, non quia homo est, sed quatenus Ecclesiæ  
ministerio fungitur. Quod si ergo minister ita petentem in  
nomine SS. Trinitatis abluat, etiam si non dicat se baptiza-  
re, ipsa tamen actio & circumstantiæ, quas diximus, esse  
baptismum significant. Qua de re fusius agendi erit oppor-  
tunior occasio, cum an intentio baptizandi in ministro re-  
quiratur, dispicere ac disceptare oportebit.

LIIIX. De altera formulæ parte, qua invocatur SS.  
Trinitas, neque veterum neque recentiorum una est sen-  
tentia. Eam à Domino præscriptam esse, non audent Cæ-  
tholici negare. Cum autem Apostolos nusquam in nomi-  
ne Sanctæ Triados, sed *in nomine Iesu Christi* legant bap-  
tizasse: alii hinc concludunt, noluisse Dominum obligare ad  
nominandas distinctè omnes tres Divinitatis personas, quod  
unius

unius Christi appellatione tota Trinitas aliquo modo comprehenderetur: Alii verò censent, Apostolos ad tempus ex divinâ dispensatione in nomine Christi baptizasse, quò rectius ejus divinitatem barbaris nationibus persuaderent. Prior sententia vix à quopiam veterum clarius traditur, quàm ab Ambrosio, ut mirer, fuisse quosdam ex Scholasticis, qui aliter ipsum interpretari voluerint. Disertè affirmat, eos qui *in nomine Iesu Christi* olim baptizabantur, pronunciato solo Christi nomine baptizatos fuisse, omisâ Patris & filii mentione: nihilominus legitimum & verum esse baptismum assecutos. Neque aliunde rationem petit, quàm quòd in Christo tota Trinitas intelligatur. *Cum enim* *libr. 1. de*  
*dicitur*, inquit, **IN NOMINE DOMINI NOSTRI SPIRITUS S. IESU CHRISTI**, per unitatem nominis impletum mystice *cap. III.*  
*rium est, nec à Christi baptismate Spiritus separatur. Item: Qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, à quo unctus est filius, & ipsum qui unctus est filium, & Spiritum quo unctus est, designasti. Scriptum est enim: Hunc Iesum à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto. Eadem ratione vult probare, legitimum quoque esse baptismum in nomine Spiritus S. collatum. Nunc consideremus, ait, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterij plenitudinem. Rationem sequamur: — Si Spiritum dicas, & Deum Patrem, à quo procedit Spiritus, & Filium, quia filii quoque est Spiritus, nuncupasti. Eâ tamen lege vel Christi vel Spiritus S. mentionem ait sufficere, ne quid mente quod tremendo Trinitatis mysterio contrarium sit asseratur. Si unum, inquit, in sermone comprehendas, aut Patrem aut Filium aut Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum S. abneget, plenum est fidei sacramentum. —*



Ambrosii auctoritate illectus Nicolaus Papa ad consulta  
*de con-* Bulgarorum rescribitac decernit: *A quodam Indae, nesci-*  
*secc. dist.* *is utrum Christiano an Pagano, multos in patriâ vestrâ bap-*  
*IX. cap.* *tizatos asseritis, & quid de is sit agendum consultitis. Hi*  
*XXIV.* *perfecto si in nomine Sanctæ Trinitatis vel tantum in Christi*  
*nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt*  
*(unum quippe idemq̄ est, ut sanctus exponit Ambrosius) con-*  
*stat eos non esse denuò baptizandos. Eundem Ambrosium*  
*l. 11. de* hic sequi non dubitavit Hugo de S. Victore: ut tacam Ma-  
*sacram.* gistrum sententiarum & alios quosdam Scholasticos. Pro  
*p. 6. c. 2.* posteriori opinione Gabriel Vazquez citat benè multos  
 Scholasticos, veluti Antifiodorencem, Alexandrum, Bo-  
 naventuram, Richardum, Durandum, Paludanum, Ga-  
 brielem & alios, quos eâ de re consulere & explicare non  
 visum est operæ pretium.

LIX. Ex Arminianorum scholâ Episcopus, quena  
 plures sequuntur, planè negat, verbis institutionis solen-  
 nem & necessariam baptizandi formulam præscriptam es-  
*quest.* se. Primùm censet, *verba ista, sic ἐνομα τῶ πατρὸς &c.*  
*XXXVII.* *connecti posse cum verbo βαπτίζονται, ita ut verba βαπτίζον-*  
*in loc.* *τες αὐτῶν, quasi parentheses legantur: id si fiat, tum certum*  
*Matth.* *esse, formulam istam baptizandi, Baptizo te IN NOMINE*  
*XXIIX, 19* *PATRIS &c. verbis istis βαπτίζοντες αὐτῶν non contineri.*  
 Et quod hætenus dubitantis more videbatur ingessisse, mox  
 quasi certum accipiens ait, atq̄ istam causam esse, quod for-  
 mulâ istâ uti nunquam legantur in scripturâ Apostoli, quando  
 baptizabant: quia ex præscripto Christi docebant, in nomine  
 Patris, Filii & Spiritus S. Deinde si vel maximè hæc ver-  
 ba jungantur, βαπτίζοντες αὐτῶν εἰς ἐνομα τῶ πατρὸς καὶ  
 τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος αἰῶν, aliter tamen, quàm vetus  
 Ecclesia, ea interpretatur. Non, inquit, continent modum  
 loquendi, quò in baptizando uti iubentur Apostoli: sed rem  
 tantum



tantum, cuius ratio precipua in baptizando habenda erat, quocumque demum modo baptizarent. Non enim dicitur; Doceat baptizantes; id est, quando baptizatis, pronunciantes nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, quod fieri poterat, non expresso trium istorum nomine. Praterèa communi sententia id maxime videtur obstarè, quòd Apostolos nusquam in Scriptura in nomine SS. Trinitatis, sed in nomine Iesu Christi baptizasse legimus. Ita ait Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* Item: *Iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.* Obiicit hìc Episcopus, si istis verbis certa baptizandi formula contineatur, Apostolos alià formulà esse usos, quàm qua nos utimur, adeoque nostram non esse à Domino mandata. Nec abs re quidem: Quomodo enim Apostoli ab eà recederent, si mandata esset? Fateretur interim, non usquequaque certum esse, an istis verbis formula baptizandi contineatur, & fortasse non verum, si considerentur verba Apostoli: *Ne quis dicat me in nomen meum baptizasse.* Quomodo enim id dici à quocumque potuisset, si formula baptismi certa erat, & quidem hæc: *Baptizote in nomen Christi?* Si verò Apostoli, cum dicantur baptizasse in nomine Iesu Christi, inter baptizandum isthac verborum formà non sunt usi; materiam hæres præbet ambigendi, annon etiam ex præscripto Domini possit baptismus administrari in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, sine horum verborum pronunciatione. Neque enim ovum ovo est similis, quàm isti loquendi modi sibi invicem sunt.

LX. Quibus animadversis difficultatibus, Bellarminus de posteriori formula parte hæud secus quàm de priorè decernit: *Pariratione non colligitur evidenter ex hoc solo loco, oportere dicere, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: posset enim exponi hìc locus vel de fide Trinitatis, ut baptiz*

Act. II,

38.

Act. X,

48.

I. Cor. I,

15.

baptizemus in fide Trinitatis ; vel etiam de auctoritate , id est , ut baptizemus auctoritate à Deo accepta ; quemadmodum cum Marci ultimo legimus : In nomine meo demonia eijcient . Unde hic etiam recurrendum esse putat ad traditionem , ut eà suppleatur , quod in verbis institutionis manifestò non est expressum , neque ex ijs per solidam consequentiam colligitur . Quid est , detrahere mori & usui istius formulæ auctoritatem divinam , si hoc non est ? Extant sanè pro illo egregia & antiquissima Patrum testimonia , ut vix dubitari possit , quin veteres eum ab Apostolis acceperint . Benè enim & scitè Augustinus : *Quod universa tenet Ecclesia , nec conciliis institutum , sed semper retentum est , non nisi Apostolicâ auctoritate traditum rectè isomè creditur .* Non autem statim præcepti est Dominici , quod ab Apostolis est traditum , nisi etiam ex verbis Domini , seclusâ traditione Apostolicâ , nos ad id obligari constet . Nam multa instituerunt ac tradiderunt Apostoli injussu Dei , eoque salvâ mutandi libertate ; imò quæ dudum in usu esse desierunt . Quod si ergo isti formulæ non tam à verbis Domini quàm à traditione acquirendum esset præsidium , corrueret ejus divina auctoritas . Quò ne res devolvatur , omnino censemus , posse ejus mandatum ex verbis Domini probari , semotâ quamlibet traditione .

LXI. Omnis inde oritur difficultas , quòd ille loquendi modus , *in nomine vel nomen alicuius aliquid facere* , adeò variè ac multipliciter in scriptura accipitur . Admonet autem nos pervagatissima interpretandi regula , non esse recedendum à propriâ significatione vocis , nisi evidens cogat necessitas . Nunc verò τὸ ὄνομα , & quod ei apud Latinos respondet , *nomen* , quin & Hebraicum מִשְׁמָה , propriè est quodlibet vocabulum , quo res vel persona alteri indicatur , & ab aliis rebus vel personis dignoscitur . Non autem potest

potest ullum vocabulum valere ad rem vel personam alteri indicandam, nisi ore proferatur, ut alter audiat. Quamobrem vi nativæ significationis nomen non est aliquid mente cogitatum, sed ore prolatum. Hinc bene Hugo de S. Victor: *Tunc quippe nomen esse incipit, quando nominari incipit, & notificari, ut cognoscatur.* Et proinde in nomine alicuius aliquid facere, idem erit, quod faciendo pronunciare nomen alicuius, quo aliàs alteri indicari, & ab aliis dignosci consuevit. Hac itaque significatione standum est, nisi evidens & omni exceptione major recedendi sit ratio, quæ cuivis facilè se aperit consideranti, quomodo is, in cuius nomine alius agit, ad actionem vel agentem se habeat. Ut plurimum talis intercedit habitudo, qualis est causæ ad causatum; Sed ea vel sine nominis pronunciatione sibi constat; vel ab illa ut à necessariâ conditione, aut causâ sine qua non dependet. Si prius; recedendum est à propriâ significatione: neque enim jam nominis pronuntiatio, sed ejus, in cuius nomine aliquid agitur, causalitas & concursus ad actionem denotatur. Sin posterius; propriæ significationi inhærendum est.

LXII. Prioris usûs multa in scripturis sunt exempla; Sed ut variat ejus, in cuius nomine aliquid agitur, causalitas; sic varia hujus loquendi modi significatio est.

(I.) Interdum idem sonat, quod auctoritate & jussu alicujus: quando scilicet jubentis ad jussum intercedit habitudo, quæ sine nominis pronunciatione sibi constat. Hoc modo Christus ait, *se venisse in nomine Patris*, non quòd veniens, *loh. v. 43* pronuncia verit nomen patris, sed quia auctoritate & jussu Patris venerat, quemadmodum & alibi dicit, *se à Patre ibid. v. missum esse.* *30. 37*

(II.) Interdum de Deo usurpata phrasis idem notat, quod *virtute, ope, auxilio Dei*: quando scilicet Deus ad alterius

K

terius

lib. II. de  
Sacram.  
part. VII  
cap. II.



terius actionem se habet, ut is, qui agendi virtutem confert,  
*Psal.* vel auxilium suppeditat. Quomodo David ait: *In nomine*  
*cxviii.* *tuo concidam hostes*, i. e. tuâ ope, tuâ virtute atque auxilio.  
*10.* Ita etiâ nonnulli exponunt illud Christi: *In nomine meo da-*  
*Marc.* *monia eijcietur*, id est, virtute meâ. Verùm si, quod probabi-  
*evi, 17.* le est, Christus non concessit virtutem eijcendorum demo-  
niorum, nisi invocato clarâ voce nomine suo: propria si-  
gnificationi manebit locus.

(III.) Cum inter vocem semel positam & mox repe-  
titam interjacet, viri reduplicandi habet, perinde ac parti-  
cula quâ, quatenus, prout, & similis. Et quia hoc sicut id,  
quod reduplicat, causam actionis esse arguit, exponi solet  
*Matth.* per quia. Ita quod servator ait: *Prophetam in nomine pro-*  
*29 41.* *phetæ, & justum in nomine justî recipere*, idem est, quod ideò  
*recipere, quia est propheta, & quia est justus.*

(IV.) Quandoque idem sonat, quod *alicuius gratiâ vel*  
*causâ*: cum videlicet is, in ejus nomine alius agit, est actio-  
*Matth.* nis finis, præcipuè quidem objectivus, subintellecto sine  
*xviii, 20.* *formali*. Sic duos vel tres congregatos esse *in nomine Chri-*  
*sti*, idem est, quod *Christi causâ*, i. e. Christi colendi, confi-  
rendi, laudandi & glorificandi causâ. Quomodo Christus  
est finis objectivus, sed cuius & confessio ac glorificatio est  
finis formalis, & subintelligitur.

(V.) Nonnunquam de Christo usurpatur, in quantum  
*causâ meritoria est, & idem valet, quod per vel propter*. Ita  
*Joh. xiv,* *habere nos vitam, vel petere aliquid in Christi nomine*, idem  
*17. & xx,* est, quod *per & propter Christum*, tanquam qui id nobis  
*31.* promeruerit.

LXII. Nec tamen etiâ posterioris usus desunt ex-  
empla, ubi quæ intereedit habitudo, sibi non constat, sine  
nominis pronuntiatione, Latini sermonis usu receptum  
est, ut si quem per alium velis salutare, *tuo nomine salvere*  
eum

eum iubeas. Non autem alius iussa tua exequetur, nisi *in-*  
*cupato tuo, qui iusseris, nomine.* Quamobrem hic sub ipsa  
habitudine iubentis ad iustum propriae significationi manet  
locus. Ex scriptura notissimum est illud Christi, nobis mo-  
do memoratum: *In nomine meo demonia eicient, aegrotis Marc.*  
*imponent manus, & bene habebunt.* Nonnulli hic *in nomine* *xvi, 17.*  
*meo* non putant idem esse, quod *in vocato meo nomine*, sed  
*mea auctoritate, meaque virtute.* At probabile est, Christum  
non concessisse discipulis suis auctoritatem & virtutem e-  
jiciendi demonia, & sanandi morbos, nisi nomen suum cla-  
râ voce invocarent. Idem censet Beatus D. Calixtus, ratione  
& suam sententiae hac quasi regulam complexus: *Quando disp. de*  
*in scriptura praecipitur aut describitur actus conjunctus cum bap. ih.*  
*effectu peculiari & supernaturali, atque is actus in nomine* *137.*  
*Christi fieri dicitur, tum sensum esse, quod nomen Christi ex-*  
*presse fuerit appellatum & invocatum.* Huic sententiae pla-  
ne respondent, quae in sacris literis annotata sunt, quaedam  
ita patrum miraculorum exempla. S. Paulus ex ancillâ  
obsessâ eieciurus demonium, dicebat: *Praecipio tibi in no-* *Act. xvi,*  
*mine Iesu Christi, ut ex eas ab ea.* Et Petrus claudum sana- *18.*  
xurus in hac prorumpbat verba: *In nomine Iesu Christi Na-* *Act. 111,*  
*zareni surge & ambula.* Atque adeo uterque non tantum *6.*  
auctoritate & virtute, sed etiam invocato Christi nomine  
miracula, quae narrantur, fecerunt.

LXIII. Nunc ut reflexo ad institutionem baptismi  
animo explicemus, quomodo inibi *in nomine Patris &*  
*Filii & Spiritus Sancti* accipiatur; circumspiciendum est,  
qualis inter SS. Trinitatem, in cuius nomine baptizandum,  
& ipsum inter baptismum intercedat habitudo; utrumque  
hujusmodi, ut sine nominis pronuntiatione sibi possit con-  
stare, an verò ut ad illam veluti ad conditionem quandam  
alligata sit & adstricta. Si qua ex illis, quas supra dixi, sine

fine pronunciatione nominis consistere, huc quadaret ha-  
bitudo, non esset causa meritoria nec finis, sed vel dantis  
virtutem, vel iubentis & auctoritatem addentis. At neutra  
fortè fuerit. Non certè prior, quæ est dantis virtutem. Etsi  
enim effectus baptismi, quia planè spiritualis est, unicè à Dei  
virtute ac gratiâ pender, nihil isthuc conferente ministro:  
ipsum tamen secundum substantiam spectatum baptisma  
non excedit naturalem ministri potentiam, ut ad illud per-  
agendum supernaturali & divinitus concessâ virtute sit o-  
pus, sicut olim ad ejectionem demoniorum & miraculo-  
sas sanationes. Neque enim quoad substantiam quiequam  
aliud est *baptizare*, quàm *aquâ ablucere in nomine SS. Tri-  
nitatis*, ad quod cujusque ministri naturalis virtus sufficit. Et  
proinde *in nomine SS. Trinitatis* baptizare, non idem esse  
potest, quod virtute Dei supernaturali ministerium bap-  
tizandi obire. Neque locum invenit habitudo posterior, quæ  
est iubentis & auctoritatem addentis. Etsi enim servator  
ut alia omnia, sic etiam baptismum divinâ, adeoque ea au-  
thoritate instituit, quæ omnibus personis divinis est comu-  
nis: in tantum tamen sibi propriam ejus institutionem ven-  
dicat, in quantum voce suâ mandatum baptizandi dedit,  
neque ministeriali aut delegatâ potestate, sed qui per  
& propter unionem personalem, etiam quâ homo, divinâ  
auctoritate pollebat. Quod si ergo iubentis auctoritatem  
& instituentis auspiciam voluisset exprimere & indicare,  
dicendum ipsi fuisset; *Baptizate in nomine meo*, i. e. meâ  
iubentis atque instituentis auctoritate. Quo sensu etiam in-  
telligendum est, quòd Apostoli *in nomine Christi* leguntur  
baptizasse, ut mox ostendemus.

LXIV. Qualis autem tandem intercedat habitudo, non a-  
liunde rectius dabitur intelligi, quàm ex baptismi effectu &  
finè. Effectus ejus est spiritualis regeneratio in infantib<sup>9</sup>, in a-  
dultis

dultis fidei antè ex auditu verbi conceptæ obſignatio; Fi-  
 nis proximus, remiſſio peccatorum ac juſ *via deus* ſive ſpiri-  
 tualis familia Chriſti; Ultimus, vita æterna. Eſſi autem  
 quicquid hujus eſt, à tota SS. Trinitate pendet: aliud tamen  
 Deo Patri, aliud Filio, aliud Spiritui S. *per appropriationem,*  
 quam vocant, tribuitur. Spiritus S. eſt, nos per bap-  
 tiſmum regenerare, aut fidem, quam antè per verbum accen- *1. Tim. III*  
 dit, obſignare. Unde S. Paulus vocat *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Dei patris eſt, in filios  
 ſuos adoptare eos, qui baptizantur. Remittere autem pec-  
 cata, eſſi etiam Dei Patris eſt per appropriationem, quate-  
 nus in miſericordiam ipſius reducitur; in tantum tamen Fi-  
 lio ejus Jeſu Chriſti proprium eſt beneficium, in quantum hu-  
 jus paſſione & meritis eſt partum. Verum enim verò non  
 vult Deus tantis bonis cumulare & æternum beare eos, qui  
 baptizantur, niſi viciffim fidem & obſequium bonamque  
 conſcientiam promittant & ſervent. Unde Deus hic foedus  
 ſive pactum quoddam cum hominibus inire intelligitur,  
 quod per baptiſmum obſignat & confirmat. Quanquam  
 admodum inæquale foedus eſt, in quo Deus id ſtipulatur ab  
 hominibus, ad quod abs ſe omnes obligantur; & nihilomi-  
 nus ipſiſ quali in redhoſtiam grandia beneficia, quæ  
 diximus, viciffim promittit ac confert.

LXV. Lucem huic ſententia non parvam ſecernatur *1. Pet.*  
 didum quoddam S. Petri, ubi baptiſmum cum aquâ diluvis *III, 21.*  
 anâ comparans ait: *ὅμοιοτύτου ἡ βαπτισμοῦ τοῦ ὕδατος ἡ ἁγίας πνεύματος*  
*(ὡς ὅτι οὐδὲν ἔστιν ὕδατος, ἀλλὰ ὁμοιοτύτου ἡ ἁγίας πνεύματος*  
*ἐν ὁμοιοτύτου ἐστὶν ὁμοιοτύτου ἡ ἁγίας πνεύματος).* Quod & nos nunc ſimilis  
 forma ſalvos facit baptiſma (non carnis depositio ſordium, ſed  
 conſcientia bona interrogatio in Deum) per reſurrectionem  
 Jeſu Chriſti. Non negat D. Petrus, baptiſmum eſſe ablutio-  
 nem carnis: hoc enim ad eſſentiam ejus pertinet; ſed ne-  
 gat, ab illa carnali lotionè pendere ſpiritualè regeneratio-  
 nem,

nem ac vitam æternam, nisi accedat ad eam *consuetudo a ysa-*  
*hâs. et epistola his. Scôv.* Quanquam quid his verbis intelli-  
gatur, mirè discerant interpretes. Antiquus interpres, cuius  
ius verba modo commemoravimus, ita reddidit: *Consci-*  
*entia bona interrogatio in Deum.* Neque abs re quidem:  
nam *ερωτάω* Græcis propriè est interrogare, idèoque *ερω-*  
*τάω* & idem, quod *interrogatio*. At Cornelius a Lapide du-  
plicem hic metalepsin esse posse putat: primum ut *inter-*  
*rogatio* dicatur pro *probatione* & *exploratione*, quòd *inter-*  
*rogatione* fiat *exploratio*, quasi dicat Apostolus: *Baptis-*  
*mus nos salvos facit, quia facit, ut probatam coram Deo habe-*  
*amus conscientiam, bonam scilicet, puram & mundam.* Deinde  
ita, ut *interrogatio* pro *responsione* dici censeatur, tum  
quòd ex *interrogatione* sæpe intelligatur *responsio*, tum  
quòd Hebræi, si cerè respondere & asseverare aliquid cus-  
pian, *interrogatione* utantur. Quasi hoc velit dicere Apo-  
stolus: *Baptismus facit bonam conscientiam, adeo ut ipsa au-*  
*deat interrogari à Deo, iusq; tribunali in iudicio confidenter*  
*se sistat non metuens se damnatum iri, sed interrogat a intre-*  
*pide coram Deo omnium conscio respondeat, se esse bonam &*  
*omnium labe depuratam.* Eodem collimare videtur Eras-  
mus, cum verba sic vertit: *Quo non carnis sordes abiciuntur,*  
*sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud Deum.*  
Sed frustra metalepsis fingitur, ubi propriæ significationi es-  
se potest locus, & aliàs parum accommodata est posterior  
Cornelii interpretatio. Restrigit enim verba ad statum  
hominis post lapsum, quasi tum demum bene *conscientia*  
*apud Deum respondeat*, cum per baptismum bona & munda  
facta est. At Petrus baptismum in ipso actu *interrogatio-*  
*ne bona conscientie apud Deum esse ait.* Oecumenius ver-  
ba sic interpretatur: *Baptismus est velut arrhabo quidam &*  
*pignus bona erga Deum conscientie.* Quod quanquã verissi-  
mum



num est, minime tamen probare possumus, vocem *interro-*  
*gata* absque cogente causa à propria significatione detecti,  
& pro *pignore* sive *arrabone* accipi. Alii *pacium* vel *fedus*  
reddunt. Sed & illi citra necessitatem à proprietate vocis  
recedunt. Nos in hanc propriam significationem, quâ idem  
est *interrogata*, quod *interrogari*, metalepsi femotâ. Tantum  
modo id difficultatē habet, activè an passivè accipi debeat.  
Activè sumi dico, cum actus intelligitur, quo bona conscientia  
in vel apud Deum interrogat. Probat hanc expositionem Cor-  
nelius, sed restringit ad statum hominis post baptismum, ut pro-  
te quo eius conscientia facta sit *secura de puritate, ut confiden-*  
*ter audeat interrogare, postulare & interpellare Deum, dicen-*  
*do: Abba Pater, nūquid non ego sum Filius tuus? nūquid non tu*  
*es pater meus?* Passivè vocē *interrogata* dico accipi, cum a cō-  
intelligitur, quo bona conscientia in (apud) Deum interroga-  
tur. Alias *epistolâ* quâ *interrogatâ* considerat *ayadq̄*, est interro-  
gare de bona conscientia. Ergo & *ayadq̄* *ayadq̄* *ayadq̄* *ayadq̄*  
*ayadq̄*. Idem dici potest ille actus, quo homo, qui baptizandus est,  
interrogatur de bona conscientia in Deum, scilicet promitten-  
da & servandâ. Utraque admitti potest expositio, dum mo-  
do nō restringatur ad statum hominis post baptismum, sed re-  
trahatur ad *fedus*, quod in ipso baptismo cum homine in it &  
pangit Deus, extendatur. In hoc enim *federe* mutua datur  
interrogatio, & mutua promissio tam Dei, quam hominis  
sive conscientia eius. Promittit scilicet Deus homini, &  
homo Deo. Cui autem promittitur, is interrogat, & qui  
promittit, is interrogatus esse intelligitur. Quamquam ob  
*federe* inæqualitatem passivè rectius quam activè accipi-  
tur. Nam qui interrogat de re aliqua danda vel facienda,  
is alterum sibi ad eam rem dandam vel faciendam vult ob-  
ligare. Quod si ergo alter rem se daturum vel facturum  
promiserit, tum is qui interrogavit, ab altero tale quid stipu-  
latus

latus esse dicitur; Hoc autem modo solius Dei est interro-  
gare & stipulari, non verò hominis: Deus, inquam, dum  
hominem interrogat de bona conscientia, vult ipsum sibi  
obligare ad servandam bonam conscientiam. Quam si ho-  
mo se servaturum promiserit, Deus ab ipso bonam consci-  
entiam stipulatus esse dicitur. Homo autem non vicissim  
potest interrogare Deum de spirituali regeneratione, remis-  
sione peccatorum, & jure *videlicet* ac vitæ æternæ, tan-  
quam velit ipsum ad hæc beneficia danda sibi obligare; sed  
quicquid eorum est, ex inexhausto misericordiæ divinæ fon-  
te expectare debet & referre; Unde cum Deus ea beneficia  
pro ineffabili suâ gratiâ homini promittit & confert, non  
homo ea à Deo stipulatus esse dici potest, nisi per analogi-  
am valde impropriam. Sensus igitur verborum Petri huc  
redit; *Baptismus, per aquam diluvianam prefiguratus, hodie*  
*nos quoque servat, non verò ut actus, quo sordes carnis abluun-*  
*tur ac deponuntur, sed ut Sacramentum, in quo homo interro-*  
*gatur de bona conscientia in Deum, scilicet promittendâ &*  
*servandâ, i. e. in quo Deus ab homine bonam consci-  
entiam stipulatur. Neque enim pura interrogatio hinc intelli-*  
*gitur, sed prout correspondentem promissionem saltem in*  
*casu obliquo connotat, quæ illius terminus & quasi perfe-*  
*ctio est. Quâ ratione stipulationem eam dici jam asserui-*  
*mus. Unde quoque Beza non interrogationem, sed stipula-*  
*tionem bonæ conscientie apud Deum, reddere S. Petri verba*  
*voluit. Sunt autem fulcra bonæ conscientie fides & obe-*  
*dentia, quorum utrumque Deus ab homine stipulari cen-*  
*sendus est, dum illam in baptismo stipulatur.*

*l. i. de Sa* LXVI. Adversatur hic nobis Bellarminus, censetque  
*cram. c.* Petrum non loqui de testimonio vel pacto Dei, sed conscientie  
XVII. *nostræ.* At sine causâ. Primùm enim disertè Petrus bap-  
tismum *scilicet* *capæ* sive stipulationem vocat, quæ non dicta-  
mine

mine conscientia, sed interrogatione & promissione pe-  
citur, ut in foederibus & pactis usu venit. Deinde non tan-  
tum dicit *stipulationem bona conscientia*, sed addit sic *scilicet*:  
quâ particulâ quid aliud censendus est indicare voluisse,  
quàm Deum in baptismo cum homine pacisci de servanda  
bonâ conscientia? Hinc Gregorius Nazianzenus (a) scri- (a) *Orat.*  
bit: *Et compendio dicam, nihil aliud esse vim & facultatem* XL.  
*baptismi existimare debemus, quàm secunda vita ac purioris*  
*vivendi rationis pactum cum Deo initum.* Et sollicitè dan-  
dam esse operam monet, hoc ne pactum violemus. Quo e-  
tiam clariùs foedus sive pactum, quod Deus cum homine in  
baptismo init, representaretur; visum est veteri Ecclesia,  
non priùs quenquam baptizari, quàm interrogatus fidem  
in Deum Trinum profiteretur, & diabolo ac mundi hu-  
jus cupiditatibus renunciasset. Cujus stipulationis ac pro-  
missionis nos sedulo admonet Ambrosius. *Repete, inquit, de ijs qui*  
*quid interrogatus sis: recognosce, quid responderis: renuntiasti myster.*  
*diabolo & operibus ejus, mundo ac luxuria ejus & voluptatibus. insitiant.*  
*Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viven-* cap. 11.  
*tium.* Alibi non minorem in hujusmodi promissione vim  
inesse dicit, quàm si homo homini chirographum dederit. *lib. 7. de*  
*Si chirographum, ait, homini dederis, teneris obnoxius. Vbi Sacram.*  
*promiseris, considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, cap. 11.*  
*sed minister est Christi; vidisti illum ante altaria ministran-*  
*tem. Ergo chirographum tuum non tenetur in terra, sed in*  
*calo.* Quibus gemina sunt verba Augustini: *Diabulo vos lib. 14. de*  
*renunciare professe estis, in qua professione non hominibus, sed symb. ad*  
*Deo & Angelis ejus conscribentibus dixistis: RENVNCIO, catech.*

LXVII. Ex quibus, ut divagantem calamum ad pro- cap. 1.  
positum revocemus, liquidò jam constat, Deum trinum  
ad eum, qui baptizatur, ita se habere, sicut is qui stipulatur,  
ad eum a quo stipulatur, aut sicut qui interrogat, ad promit-

tentem se habet. Quæ habitudo, vix est, ut sine nominis  
Dei trinunius pronuntiatione sibi constet. Quando homi-  
nes, qui sibi invicem noti sunt, coram inter se agunt ac paci-  
scuntur: tum non necessum esse concedo, ut sua nomina  
profiteantur: Sufficit eo in casu mutua utriusque interroga-  
tio & promissio. At Deus trinunus cum eo qui baptizatur,  
non immediatè & per seipsum, sicut homo cum homine,  
sed per ministrum agit & quasi paciscitur. Necessum itaq;  
est, appellet minister nomen Dei trinunius, cujus vices gerit,  
ut ipse nec aliud esse intelligatur, qui foedus cum homine in-  
cat, & cui vicissim homo vi foederis fidem, obsequium ac  
bonam conscientiam debeat. Proinde quando iussit serva-  
tor baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,  
phrasis ac modus loquendi hic propriè de nominis Dei tri-  
nunus pronuntiatione accipiatur necessum est, adeò ut i-  
dem sit, quod appellando & invocando nomen Patris & Filii  
& Spiritus S. baptizare, veluti ita foedus cum homine in-  
cuntis, & fidem ac bonam conscientiam ab ipso stipulantis.

LXVIII Accedit, quòd Deus adultis ordinariè non  
nisi per verbum gratiam suam impertit. Agnosci enim &  
cognosci ab illis vult ac coli, veluti à creaturis ratione ac li-  
berrate præditis. Neque verò cuiquam hodiè supernatu-  
rali modo, sicut olim Prophetis & Apostolis, se manifestat.  
Nihil ergò, ex quo cognoscatur, superest, nisi verbum, quod  
Deus simul medium esse voluit impertiendæ gratiæ, quâ  
qualis est cognitus, talis etiam agnosci & coli possit. Ut ita  
ex verbo & cognitio Dei & gratia sit, ad confitendum ac  
colendum, qualem cognôris, necessaria. Proinde & bap-  
tismatis sacramentum, cum efficax medium sit, quo gratiam  
spiritualis regenerationis consequimur, non potest solo vi-  
sibili symbolo consistere, sed oportet cum verbo esse conjun-  
ctum. Neque enim sacramenta tollunt ordinarium gratiæ  
con-

conferendæ modum, sed augent, ut quod verbum, si solum sit, invisibiliter præstat, id solum verbum additum oculis & animo clarius iuxta ac efficacius ingerat. Qua de causâ sacramentum Augustino *verbum visibile* dictum meminimus. Quod autem ac quale verbum censeamus in baptismo necessarium esse, nisi quod ipse servator expressit & præscripsit, cum baptizare iussit *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*? Neque est, quod cogites, verbum hoc, quo SS. invocatur Trinitas, vel mente à ministro agitatum sufficere, etiamsi ore non proferatur. Fatemur, si quis suo bono Deum Trinum invocet, ei satis esse mente invocasse. At quemadmodum minister totum baptizandi actum alterius causâ instituit, quem baptizat: ita & ablutioni invocationem SS. Trinitatis addit, non ut ipse sibi gratiam à Deo impetret, sed ut alter qui baptizatur, intelligat, se Deo ac toti Trinitati ætissimo fœdere conjungi, & ad fidem atque obsequium obligari. Quamobrem ejus qui baptizatur interest, ut clarâ voce minister nomen Trinitatis SS. inter baptizandum appellet.

LXIX. Quanquam non diffitemur, hoc argumentum præcipuè de adultis valere, qui auditum ex ore ministri Dei trinum nomen mente concipere, ruminari & pie invocare possunt. Neque improbable est, Christum ad adultos, quorum plures quàm infantum initio baptizabantur, cum primis respexisse, cum dictam formulam baptizandi præscriberet. Nihil interim causæ dici potest, quin per ampliationem Scripturæ familiarem rectè etiam ad infantes extendatur: imò extendi eò oportere, non uno argumento sit vero simile. Primum enim hujus sacramenti quoad speciem actus esse debuit uniformitas; non autem esset, si adulti cum formulâ, sine illâ infantes baptizarentur. Deinde sacramentum est causa quædam impulsiva sive *origo*.

non modò hominis, sed etiam Dei respectu: De-  
um quippe addendam ex immutabili ipsius voluntate at-  
que institutione, sed hominem ad amplectendam  
gratiam mover & impellit. Licet itaque infantes non  
aque moveantur, neque asperzione aquæ, neque in voca-  
tione nominis SS. Trinitatis, cum neutrius vim & signifi-  
cationem valeant assequi & intelligere: quod tamen ex u-  
traque sacramentum conflat, Deum mover ad dandam  
spiritualis regenerationis gratiam, quam profectò non da-  
ret, si vel asperio aquæ sine invocatione, vel hæc sine illa u-  
surparetur. Præterea ita debent baptizari infantes, sicut o-  
lim, si adolescant, credituri; & ita olim credere, sicut jam  
epist. baptizati sunt. Unde benè scribit Basilius Magnus: *Opor-*  
LXXVIII *ter nos baptizari, sicut accepimus; credere verò, sicut baptiza-*  
*mur; colere verò & glorificare, sicut credimus, Patrem & Fi-*  
*lium & spiritum Sanctum.* Non abs re fortè fuerit, si dica-  
mus, invocationem SS. Trinitatis, quam minister in bap-  
tismo usurpat, ei qui baptizatur, inseruire & prodesse duplici-  
ter: vel *actu & formaliter*, si sit adultus, qui possit eam cape-  
re & sibi fide applicare; vel *potestate & virtualiter*, si is qui  
baptizatur, sit infans, qui demum eam intellecturus & sibi  
salutariter applicaturus est, cum ad usum rationis adoleve-  
rit, Spiritu S. interea citra formulæ intellectum ac medita-  
tionem operante, ac spiritualiter baptizatum ac regeneran-  
te. Sed hæc obiter & quasi intranscursu.

LXX. Denique quotquot veterum solennem à Chri-  
sto formulam esse præscriptam agnoverunt, non Apostolo-  
rum traditione, neque praxi Ecclesiæ, sed verborum Christi e-  
videntiâ se muniverunt. Quò minùs dubitare subit, posse ex  
sols Domini verbis probari ac deduci formulæ mandatum,  
secus à traditione, contra quam statuit Bellarminus. Neque  
enim clariora veteribus Christi fuere verba, quam nobis  
sunt

sunt, ut quem illis repræsentarunt sensum, nobis non æque  
repræsentent & exhibeant, nisi ipsorum interprete & indice  
traditione. Et sanè Apostolos non aliter verba Christi, quàm  
de solenni formula accepisse, nec aliter quàm eà adhibitâ  
baptizasse, etsi nusquam in scriptura dicitur, non tamen te-  
merè est negandum. Si Apostolorum essent Constitutio-  
nes, quæ Apostolicæ dicuntur, aut minimum canones, qui  
sub illorum nomine circumferuntur: nos non sinerent i-  
gnorare, non modò usurpatam Apostolis dictam formu-  
lam, sed & præcepti Dominici visam fuisse. Etenim in consti-  
tutionibus Apostolicis disertè decernitur, sic esse baptizan-  
dum, ut Dominus instituit, i. e. in nomine Patris & Filii &  
Spiritus Sancti. Et ibidem mox ita explicatur formula: *In  
nomine, inquam, Patris, qui filium misit, & Christi, qui venit,  
& Spiritus Sancti, qui est testimonium perhibuit.* Et canone XLIX  
suprà citato iis, qui semel tantum in mortem Domini mer-  
gerent, opponitur Christi institutio, ut qui non in morte suam,  
sed in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizari iusserit Ar-  
non tantum spurias & ineptiarum ac mendaciorum plenas  
esse constitutiones Apostolicas, ipsimet fatentur Pontificii,  
sed & Canones, ex quibus priores quinquaginta pro genui-  
nis venditant, post Apostolorum tempora demùm conscri-  
ptos fuisse, à multis dudum solidè demonstratum est. Ec-  
clesia interim, quæ Apostolorum temporibus proxima est, at-  
testibus proximis scriptoribus, non modò usurpavit dictam  
formulam, sed & Dominici præcepti existimavit. Et verò  
praxin ac usum ab Apostolis quasi de manu in manum tra-  
ditum fuisse, verosimilius est, quàm postea demùm capisse.  
Ut autem Dominici esse præcepti putaretur, non tam Apo-  
stolorum effecit praxis aut traditio, quàm Christi instituen-  
tis auctoritas, & vis ac lux verborum ejus, quæ Apostolis &  
in ipsorum persona toti Ecclesiæ solennem formulæ usum  
imperavit.

LXXI. Antiquissimus omnium, qui huic con-

suetudini testimonium perhibent, est Justinus Martyr, qui suam reatē non aliter quam sub invocatione SS. Trinitatis baptizatos esse catechumenos testatur. Verba ejus ita

*L. II. Apol. habent: Ἐπ' ὀνόματος τοῦ πατρὸς τῶν ὁλῶν καὶ θεοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου ἰσχύος καὶ ὁδοῦ ζωῆς ποιῶνται. Nam in nomine Patris sancto-*

*rum & Domini Dei, & servatoris nostri Iesu Christi & spiritus Sancti, in aqua cum lavantur. Quod ne de SS. Trinitatis au-*

*toritate tantum & auspicio accipi possit, manifestò ipse postea de nominis pronunciatione interpretatur. Ἐπονομαζέ-*

*ται, inquit, τὸ ἐλθόμενον ἀναγεννηθῆναι, καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἡμετέροις, ἰσχύος καὶ ὁδοῦ ζωῆς ἰσχύος ὀνομα-*

*Nominatur super eo, qui renascendum sibi esse statuerit, atque per penitentiam ab admisis delictis respu-*

*erit, Patris cunctorum & Domini Dei nomen, Et mox de reliquis personis divinis addit: In nomine autem et-*

*iam Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritus S. qui per sacros vates pronunciat res Christi omnes,*

*abluitur is qui illuminatur. Neque dubium est, quin ex Christi institutione ac præcepto necessariam illam formulam*

*putaverit. Quod disertè affirmat, qui Latinorum antiquis-*

*l. de bap. simus est, Tertullianus, cum ait: Lex tingendi imposita est.*

*c. XIII. & forma præscripta. Ite (inquit) docete nationes, tingentes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et Cypria-*

*LXXIII. nus scribit: Dominus post resurrectionem discipulos suos mit-*

*Et recitatis jam verbis institutionis subjungit: Insinuat Tri-*

*l. II. de nitatem, cujus sacramentogentes baptizarentur. Item Didy-*

*tom. IX, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus Bibl. P. P. prætermittat, veluti contrarius legislator Christi. Hilarius formam*



formam fidei certam appellat, quam Christus in baptismo  
expressit: quia scilicet eadem baptismi & fidei forma est. *l. vi. de*  
Nam per baptismum fides accenditur vel obsignatur. Ne. *bapt. cap*  
cessum itaque est, ut in quem is, qui baptizatur, debet cre- *25.*  
dere, in ejus etiam nomine baptizetur. Unde Augustinus; *hom. xvi*  
Ceterum quis nesciat, non esse baptismum Christi, si ver. *in ep.*  
ba evangelica, quibus symbolum (fidei) constat, illic defuerint? *Rom.*  
Itē Chrysostomus scribit; *In ipso aquarum lavaero verba Dei*  
*sunt, qua nos generant atq. effingunt. In Patris enim nomen*  
*& Filij & Spiritus S. baptizati generamur.* Et Leo Magnus; *ep. iv. ad*  
*Ipse Dominus Iesus Christus, postea quam resurrexit a mortuis, episc. Sec-*  
*discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarū præsides docebantur, hanc*  
*& formā & potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes: &c.*  
Ex quibus affatim constat, quanto perē veteres vi institutio-  
nis Christi necessariam in baptismo invocationem SS. Tri-  
nitatis putaverint. Ut raceamus, quōd vetus Ecclesia Ari-  
anos, Eunomianos aliosque, qui vel mutarent formulam  
vel omitterent, non tantum erroris & violati præcepti Do-  
minici damnavit, sed & irritum atque inane eorum ba-  
ptismum pronunciavit, adeoque hos, qui ab illis ad Catho-  
licos redirent, rebaptizandos censuit & curavit. Qua de re  
differendi alius erit locus.

LXXXII. Neque erit difficile, aliorum qui negant so-  
lennem & necessariam à Christo præscriptam esse formu-  
lam, objectionibus occurrere. Et primum quidem quod  
censet Episcopus, voces hæc, *in nomine Patris & Filij &*  
*Spiritus Sancti*, posse connecti cum remotiori verbo *docete*,  
participio *baptizantes* *cap. v. de sac.* interjecto: nā illud  
ab usu & naturā sermonis longius abscedit. Naturali enim  
conciipiendi modo nemo aliter cogitat, quam verba illa  
pertinere ad participium *baptizantes*, quod proximè præce-  
dit. Nec potest participium illud censerī *cap. v. de sac.*

Sut

si, ut postulat constructio Grammatica, rectè in verbum e-  
jusdem modi, cujus verbum præcedens est, additâ conjun-  
ctione copulativa, resolvitur, quasi dicat servator: *docete*  
*omnes gentes, & baptizate eos.* Quam interpretationem,  
nolit velit, probare cogitur Episcopus, dum fatetur, verbis  
Christi mandatū baptismi cōtineri. Neq; enim aliter quàm  
isthac expositione exprimi & intelligi vis mandati potest.  
Resoluto autem ita atque explicato participio, non potest  
additamentum *εὐς ὄνομα τῶ πατρὸς* &c. à proximo verbo *ba-*  
*ptizate* penitus divelli, & ita accipi, quasi tantum ad remo-  
tius illud *docete* pertineat. Ad utrumque vi constructionis  
referri posse non nega verim, quia per conjunctionem copu-  
lantur. Sed praxin Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ si re-  
spicias, ad verbum *docete* id non pertinere etiam certum est.  
Restat itaque, ut tantum ad proximum *baptizate* referatur.  
Esto, instat Episcopus: servator tamen tantum *baptizare in*  
*nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, non verò baptizan-  
do eorum nomen pronunciare jussit. At sponte suâ  
corrui hæc instantia, si phrasis *εὐς ὄνομα* propriâ signifi-  
catione *pronunciationem nominis* denotat, neque cur à pro-  
prietate hîc recedatur, causa dari gra vis potest: quin potius  
inter SS. Trinitatem & baptismum hujusmodi intercedit  
habitus, ut non possit ea sine nominis pronunciatione sibi  
constare, ceu supra ostensa sunt hæc omnia.

LXXIII. Illud autem explicatu non est proclive, quo-  
*Act. II,* modo Apostoli *in nomine Jesu Christi*, aut *Domini Jesu* bapti-  
*38. x, 48.* zaverint: utrumne hac formula sint usi, contra quàm  
& *xix, 5.* Christus instituit; an verò verba aliter, quàm de baptizan-  
di formulâ accipi debeant. Hoc recentioribus, illud veterum  
plurimis placet, sed non eodem tenore. Quæri enim  
hic rursus potest, an Apostoli in baptismo tantum *Christi*,  
aut *Jesu Christi* nomen expresserint, reliquis personis omis-  
sis,

sis; an verò formulam à Domino præscriptam additione  
nominis *Christi*, aut *Iesu Christi*, quod inibi est præter-  
missum, auxerint. Prior sententia, quantumvis ex veteri-  
bus & recentioribus habet astipulatores, nimis tamen est  
contorta. Neque enim conceptis verbis usquam in Scri-  
pturâ traditur exclusiva propositio, quòd *Apostoli solius  
Christi nomen expresserint*; neque per consequentiam re-  
stè colligitur. Quis enim ferret sic concludentem: *Aposto-  
li baptizârunt in nomine Iesu Christi: Ergo solum hoc nomen  
expresserunt*? Neque gravis dari causa potest, quare Apo-  
stoli solius Christi nomen censeantur invocasse, contra  
quàm Dominus instituit. Quod Ambrosius causatur, in  
Christi nomine intelligi totam Trinitatem, id non verum  
est, nisi de perfunctoriâ quadam Triados notitiâ. Idem qui-  
dem est *χριστός*, quòd *unctus*; neque, teste Lactantio, *Christi* *lib. IV*  
*sus proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni.* *cap. VII.*  
*Sic enim Iudæi reges suos appellabant*: Verùm tantum se-  
cundum humanam naturam *unctus* esse Iesus creditur,  
in regem scilicet & sacerdotem nostrum. Videtur autem  
hac spectare baptismi institutio, ut *Filius Dei*, quâ *Deus  
at Dei Filius* est, invocetur. Neque *uncti* appellatione &  
Pater, tanquam à quo, & Spiritus Sanctus, velut quo sit  
*unctus*, intelligitur. Nam denominatur *unctus* à spiritali  
quadam unctione, quâ non illapsu Spiritus Sancti demum in  
Christum, sed tam factam esse veteres existimârunt, cum  
humana natura assumpta est in divinitatis *ἵε λόγος* confor-  
tium, tanquam cujus sanctitate perfusa & inundata quasi  
ac plenissimè sanctificata fuerit. Neque si in Christi nomi-  
ne tota Trinitas intelligeretur, propterea liceret reliquas  
personas tacere, quando Christus omnium trium expri-  
mendarum præceptum dedit, quòd stricti juris sit necessum  
est, Benè g. Didymus Alexandrinus: *Non arbitror quen-*  
*quam*

M

l. 11. de quibus tam recordem atque infanum futurum, ut perfectum  
Spir. S. baptisma putet quod datur in nomine patris & filij, sine assum-  
tom. IX. ptione Spiritus sancti; ut rursus in nomine Patris & Spiritus  
Bibl. PP. sancti, filij vocabulo prætermittit; aut certe in nomine filij &  
p. 37. l. B. Spiritus sancti, non proposito vocabulo patris. Unde an-  
tiquiores Scholastici, ut Guilielmus Antisiodorensis, A-  
lexander, Bonaventura, Richardus & alii, quos citat Ga-  
briel Vazquez, verosimilius censuerunt, Deum de præce-  
pto Dominico dispensasse, non in perpetuum, sed eò usque,  
ut saltem Apostolis unius exprimendi Christi Jesu nominis  
potestas concederetur. At quare Deus ita dispensaret cum  
Apostolis, quibus immediate invocandæ in baptismo SS.  
Triados datum est præceptum? Vana est eorum conjectu-  
ra, qui ideò Deum unius Christi nomen exprimi voluisse  
censent, quò magis ejus divinitas barbaris nationibus per-  
suaderetur. Idem enim finis, & fortè magis obtineri pote-  
rat, reliquis personis divinis unà cum Christi nomine ex-  
pressis.

LXXIV. Probabilior itaque est, quanquam nec ipsa  
nobis placet, posterior sententia, secundum quam Aposto-  
li, servatà à Christo præscriptà formulà, totius SS. Tri-  
dos nomen expresserunt, sed ita, ut ad mentionem Filij ad-  
jicerent, quod prætermisum est, *Christi*, aut *Iesu Christi*,  
aut etiam *Dominici nostri* nomen. In hac sententià, non vi-  
demur falli, si Cyprianum fuisse dicamus. Verba enim Pe-  
epist. tri Actorum secundo: *Baptizetur unusquisque vestrum in  
LXXI II ad Iuba- nomine Iesu Christi; sic interpretatur: Iesu Christi mentio-  
janum. nem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri  
quoque filius adiungeretur: intellige, non tantum sub no-  
mine Filij, quod in formulà à Domino præscriptà expres-  
sum est, sed etiam addito Christi aut Iesu Christi novo titu-  
lo, qui præcisè secundum humanam naturam ipsi compe-  
tit. Unde mox hæc subjungit verba: Denique ubi post re-  
surre-*

surrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittantur ; in no-  
 mine Patris & Filij & Spiritus S. baptizare gentiles jubentur.  
 Quo modo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò  
 & contra Ecclesiam, modo in nomine Iesu Christi ubicun-  
 que & quomocunque gentilem baptizatum remissionem pec-  
 catorum consequi posse ; quando ipse Christus gentes baptizari  
 jubeat in plena & adunatâ Trinitate ? Ex quibus liquet,  
 sic credidisse Cyprianum in nomine Iesu Christi baptizasse  
 Apostolos, ut tamen reliquas personas non tacerent. Idem  
 sentit Augustinus, hoc ductus principio, unius personæ  
 mentionem non esse alterius exclusionem. Unde confe-  
 rens inter se hæc duo loca: Omnia per ipsum (i. e. per Chris-  
 tum) facta sunt: & Baptizetur unusquisque vestrum in no-  
 mine Iesu Christi ; neutrobi ait excludi Spiritum Sanctum.  
 Verba ejus ita habent: Si autem, quia non est nominatus (Spi-  
 ritus S.) quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Fi-  
 lio dictum est: omnia per ipsum facta sunt ; ideo putas Dei Spi-  
 ritum non esse creatorem: procul dubio nec in eius nomine po-  
 teris baptizatos dicere, quibus ait Petrus: Agite penitenti-  
 am & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri  
 Iesu Christi: quia non ait, & Spiritus Sancti: nec in Patris no-  
 mine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non no-  
 minatus Patre & Spiritu, in nomine Iesu Christi jussu sunt ba-  
 ptizari: & tamen intelliguntur non baptizari, nisi in nomine  
 Patris & Filij & Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio Dei ;  
 Omnia per ipsum facta sunt: ut & non nominatum intelligas  
 ibi etiam Spiritum Sanctum.

Joh. 1, 3.  
 Act. 17,  
 38.  
 l. 111. cõ-  
 tra Ma-  
 xim. cap.  
 XVII.

LXXV. Nobis verò sit simillimum, verba, quibus A-  
 postoli in nomine Iesu Christi dicuntur baptizasse, non de  
 formula baptizandi, sed aliter intelligenda esse. Quanquam  
 & sic pro diversâ Christi ad baptismum habitudine diversa  
 esse potest eorum expositio: Primum habet se Christus ad ba-  
 ptismum, ut is, qui instituit, & cuius jussu atq; mandato ad-

ministrari debet. Quomodo Apostolos *in nomine Iesu Christi* baptizasse, idem est, quod *in Iesu atq. auctoritate Christi* eos hunc ritum peregrisse. Deinde habet se Christus ad baptismum, ut is, *in cuius doctrinam, fidem & cultum* baptizantur, qui baptizantur. Unde cum Eunuchus baptizari à Philippo cogeret, interrogatus ante omnia fuit, num *ex toto corde* crederet? & cum respondisset: *Credo, filium Dei esse Iesum Christum*; baptizatus in hanc fidem est. Verum nihil hinc de Christo dicitur, quod non etiam de tota SS. Triade dici oporteat. Certè qui baptizantur, æquè *in doctrinam, fidem & cultum totius SS. Trinitatis* baptizantur. Neq; hinc nominis pronuntiatio omitti potest, sed tota exprimenda est *fidei formula*, quam vocat Hilarius, qua univèrsæ SS. Triados continetur confessio. Deniq; habet se Christus ad baptismum, ut is, à quo robur hoc sacramentum acceperit. Et huiusmodi quidem habitudinem Actorum secundo significari, inde probare vult Iosephus Vice-Comes, quod in Græco textu *ἡν τὸ ὄνομα* legitur, præpositione hac causam vel fundamentum significante, cum in institutione baptismi *ἐν ὀνόματι* alio sensu dicatur. Verum non ita distinguuntur præpositiones *ἡν* & *ἐν*, quin eadem significatione accipi videas, in hac ipsa etiam materiâ. Nam alibi in Actis legimus, *baptizatos esse ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ*, non alio sensu, quam quo Actorum secundo *ἡν τὸ ὄνομα* dicitur. Præterea non tantum Christus, sed univèrsa SS. Trias ad baptismum se habet ut principium, unde robur Sacramentum acquirit. Quamobrem placet prima expositio, quâ Apostoli dicuntur baptizasse *in nomine Iesu Christi*, in quantum *iusu & mandato* eius baptizârunt, quæ Christi ad baptismum propria est habitudo, & sine nominis pronuntiatione sibi consistat. Et tantum hac vice.

F I N I S.

99 A 6948

ULB Halle

3


002 840 022



Reha

Vb 17









26.  
DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE

# BAPTISMO

Q V A M

D. O. M. A.

SUB PRAESIDIO

## PETRI MVSÆI

S. THEOL. D. ET PROF. PUBL.  
ORDINAR.

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

In Acroaterio Majori

*Publico examini subjiçiet*

JOHANN-BENEDICTUS STARCKIUS  
ASCANIUS-SAXO.

Add. Sept.

✻(o)✻

✻

HELMESTADII,  
Typis JOHANNIS HEITMULLERI  
Anno clb lbc LXIV.